3 1761 096223367

FOR USE IN
LIBRARY
ONLY

Law
Const
H112

Abbatiæ Rhenо-Suarzac 1770.

TRACTATUS JURIS PUBLICI DE MONARCHIA S.R.I. LIMITATA,

CONTRA HIPPOLITUM A LAPIDE, SEVERINUM MONZAMBANUM, ALIOSQUE RECENTIORES EX HISTORIA, LEGIBUS IMPERII, EARUMQUE ANALOGIA

BREVISSIME DELINEATUS

A

DAMIANO FERDINANDO HAAS
J. U. L. ET CAM. IMP. PRACTICO.

pr. ed. 1751.

EDITIO SECUNDA LONGE AUCTIOR.

PROSTAT
FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
APUD BIBLIOPOLAS.
MDCCLII.

13491 A
17/6/91

Bibl. Univ. Heidelb.

PRÆFATIO.

NOn hercule de ſtillicidiis, aut tigno injuncto, quales eſſe privatorum cauſæ ſolent, ſed de FORMA IMPERII ROMANO-GERMANICI quæſtio eſt: ſitne regium, an optimatum in GERMANIA regimen? hanc ad te cauſam affero, LECTOR BENEVOLE! ſunt enim, qui IMPERATORI non niſi umbram ac ſimulacra Majeſtatis relicta eſſe; omnem vero penes STATUS poteſtatem conſiſtere, perſuadent ſibi, aut quod verius puto, perſuadere conantur, inverſis ſane cultioris harmoniæ regulis: aſt illa ſententia, penitus animis recepta, quot malis cauſam dare queat, nemo ſapiens non videt: omnem enim Reipublicæ unitatem non tantum convellere, ſed & minores ſtatus iis, qui plurimum vi atque opibus valent, ſubjicere apta. Taceo aliorum non minus nocivas opiniones, ne, quod nolo, in ipſo mox veſtibulo litigare cogar.

Neſcio ſane, quo fato acciderit, ut de GERMANIÆ STATU, qui civibus non poteſt eſſe adeo incognitus, tam vehemens inter eruditos orta ſit diſſenſio: cujus hæc mihi cauſa videtur, quod ex ingenio magis, quam ipſis legibus ſyſtema ſibi effingant, non quale re-

vera eſt, ſed quod ſtatus rationi, atque utilitati eorum, quibus à conſiliis ſunt, aptius convenire arbitrantur. *

Mihi, nulli ſectæ addicto, ſola veritas in deliciis eſt, ac neminem in hoc juris publici capite melius verſari autumo, quam qui ex hiſtoria, ipſisque Imperii legibus eruit regiminis formam: placetque *Joannis de Wit Bataviæ Penſionarii* animi ſententia: ** *Je ne ſuis point un eſclave de cour, ni un etranger, qui ne s'embaraſſe point de la proſperité du païs, ou qui eſt accoutumé de parler ou ſe taire, ſuivant le plaiſir d'un prince ſouverain.*

Qua via cum in prima Tractatus hujus editione inceſſerim, obſtupui, pro ea, qua in Religionem, rem inter mortales ſanctiſſimam, feror devotione, dum *velut calumnioſum ac Sacro - Sanctæ Catholicæ fidei adverſum*, & cui complures propoſitiones *falſæ*, *erroneæ*, *temerariæ*, *ſcandaloſæ*, *Sanctæ ſedi*, & *Poteſtatibus ſecularibus injurioſæ*, *ſeditioſæ*, *pacis turbativæ*, *** & neſcio quid non

* Res eo devenit, ut in aliquibus Academiis contrarium non ſolum non doceri, ſed ne imprimi quidem ab extraneis permittatur.

** *Dans ſes Memoires in præf.*

*** Evolve omnino *Principia juris publ. eccleſ. cath. C. V. p. 47. ſeqq.* ubi harum propoſitionum natura, quidque, ut tales ſint, continere debeant, ſuccincte exponitur.

non impii ineſſet, * Coloniæ non ita pridem proſcriptum, quin & à Magiſtratu in eliminandis exemplaribus brachium ſeculare commodatum eſſe percepi. ** Quo, ut fieri ſolet, nihil aliud forte effectum, quam ut libello pretium, & doctis legendi ardor acceſſerit. ***

 Movit

* Sunt quædam audacius forte à me dicta, quam juvenilem decebat calamum: ſed diris adeo cenſuris notanda haud putabam.

** Frater meus Patruusque, Canoniæ Corporis Chriſti Canonici, eo nomine in judicium vocati, ac licet ad interrogatoria: *Num legiſſent iſtum libellum? & an non in lectione varias propoſitiones falſas, erroneas, ſcandaloſas, & Sanctæ ſedi injurioſas &c. invenerint?* ſibi ea haud cognita eſſe reſponderint: nihilo minùs, quod mireris! eundem (vix non me ipſum) *ex animo deteſtati ſunt, & ſubmiſſiſſimis verbis improvidæ diſtributionis veniam petiere.*

*** Vix riſum tenere potui, cum ex eo momento undique litteræ ad me venirent, & exemplaria peterentur. Coloniæ non niſi duodecim erant, ſed certo ſcio, jam centum in eorum manibus eſſe. Sic nitimur in vetitum. Appoſite omnino AMELOT *de la* HOUSSAIE *in notis ad Tacitum L. IV. c. 35. p. 286.: Brûler les livres, c'eſt allumer la curioſité de les lire, au lieu que de les laiſſer courir, c'eſt en degouter ceux, qui les liſent, & oter la demangeaiſon à ceux, qui ne les ont pas lû.* Sic MARIANÆ *S. J. de Regis inſtitutione* liber, licet publice crematus, à multis adhuc hodie amatur, mihique nuper ſat magno pretio obtigit. Interim mea nihil intereſt, an Coloniæ legar.

Movit me ea res, ut quid impii continere posset, accuratius inquirerem, nilque à me dictum animadverti, quod non ante à viris cordatis & catholicis, quorum testimoniis usus sum, * impune dictum sit. Quædam enim tam sunt omnibus cognita, ut dissimulari amplius nequeant: ** neque ideo catholicæ fidei sanctitas minus illibata erit, si quosdam Pontifices potestate sua abusos esse fateamur. ***

Quodsi igitur romanos Antistites Germaniæ rebus nimium se ingessisse, ex eoque statum publicum insigniter mutatum convulsumque esse asserui, id ut monerem, propositi ratio postulabat, & nemini sane incognitum est: ita tamen in hoc argumento versatus sum, ut nunquam non minus dicerem, **** quam eos, quos conferre licuit, coævos

* Allegatis ideo utimur, ut inde dictis nostris fidem adstruamus. Hinc solicite conferenda, quoties appareret, auctorem in iis præcipuum sententiæ suæ fundamentum collocasse, priusquam eidem iniquissima dica scribatur.

** Scio, quid à quibusdam reponi soleat: multa vera quidem esse, sed dici non debere. Ast alia mihi sita est opinio, eumque, qui, semel verum inficiatur, omnem fidem omittere penitus persuasum habeo: multa vero amice componi possent, si ad remittendum, pacis aut humanitatis causa, proniores essemus.

*** Nec ideo nonnullos *quarto voto* adstringi puto, ut omnia, quæ à Pontificibus gesta sunt, ceu rationabilia defendant: id enim prudentis non est.

**** Neque enim adeo *ferocis ingenii* sum, ut nesciam contra eos non scribendum, qui præscribere possunt: quæ malevolorum de me calumnia: sed satis animi mihi est, ut convitia haud metuam.

coævos & catholicos certe dixisse videre est: si quis vero historiæ tam ignarus est, ut ne ea quidem noscat, eum responsione haud dignor. *

Constitui, ut publice constet, me eum non esse, cui hæreses excogitare, & quævis sentire volupe sit, ** novis ubique catholicorum testimoniis dictis meis robur addere, speroque fore, ut, quibus aliqua historiæ notitia est, facile hæreseos veniam dent. ***

Eos

* Probari enim neutiquam possunt hi, qui in palæstra litteraria, tot tamque egregiis virorum doctorum operibus locupletata, adhuc barbariem mordicus retinere, siccis quæstionibus indulgere, & in antiquitatis totius ignoratione versari volunt, digni profecto, qui Tullianis verbis arguantur: veluti qui perverse post inventas fruges glande vesci perseverant. GRAVESON *in præf. ad Hist. eccles.*

** Miraberis vero, B. L. quî fieri potuerit, ut quæ tibi indubitata forte sunt, ego cum dixerim, de fama & vita pene mihi certandum sit. Sed rationem cape: eo impudentiæ deveni, ut verum dicere, & dissentire ausus sim. Sed si, qui verum dicit, odio est: quid, qui mentitur, merebitur?

*** Sunt vero, qui, quæ ipsi haud probant, aut melius forte edocti non sunt, illico magna audacia erroris arguunt, atque ad impugnandos adversarios nescio qua confidentia procedunt, nulla ut plurimum historiæ jurisque notitia tincti.

Eos interim oro atque obteſtor, ut, quos hactenus, mihi cauſæque nocerent, nihil non egiſſe compertum habeo, * me publice refutatum eant, quamque in eorum ſententiis ac ſcriptis dijudicandis mihi ſumſi libertatem, eandem ſibi in me ſumant. Nec ſane promtius me monebunt errantem, quam ego monentes ſequar, ultroque emendare paratus ero, quæ pietati, eccleſiæ Chriſtianæ conſenſui, aut ulli veritati diſſentanea à me dicta eſſe deprehendam. Sed rationibus, non, qui mos adeo litteras inquinare cœpit, convitiis mecum certent, turpi fœtu impotentis animi: ſciantque me ſilentium eorum ita interpretaturum, acſi, quid reponerent, in promptu non haberent. Hæc ſunt, quæ te ſcire volui, B. L. atque, ut mihi conatibusque meis faveas, enixe rogo. Dabam Wezlariæ d. 20. Julii MDCCLI.

* Nunquam cum Theologis mihi rem fore putabam, memor moniti PUFENDORFIANI *de jure nat. & gent. in præf.* BRANDIUS *Herbipolenſis Diſſ. de Uſu hiſt. eccleſ. & Imperii.* recte eos monet, ut, charitate in omnes ſervata, immatura cenſuras ferendi prurigine ſe ſe exuant.

SECTIO

Sectio I.

DE POTESTATE CIVILI IN GENERE.

§. I.

PAlam eſt, homines omnes, quotquot unquam poſt ortum utrumque ſexum humanum exſtiterunt, non ex cœlo in hanc terram demiſſos, ſed ex matre ſemine virili imprægnata in ſocietate domeſtica natos, & quam ſolicitiſſime enutritos eſſe. * Hinc facile intelligitur, qua ratione primum genus mortalium intra primi ſeculi decurſum jam ex pluribus familiis conſtiterit, ex quibus primum ſocietates peculiares; dein aucto indies earum numero naturali plane ratione integræ civitates ortæ ſunt.

* SCHMAUSSII *Diſſert. jur. nat. Diſſ. IV. §. 3. 4.* Cujus novum juris naturalis ſyſtema A. 1740. Göttingæ editum

prorſus à vero non aberrat: in eo autem convenire non poſſum, quod *Rationis* omnem mentionem omittat, quæ tamen nobis æque naturalis eſt, atque brutis inſtinctus innati ſunt: primo enim videndum, quid illis naturæ initiis congruat, deinde veniendum ad illud, quod poſt oritur, ex notione convenientiæ rerum cum ratione humana. Hinc vetus ULPIANI definitio, qui officia & honeſtatis rationem à principiis omnium animantium communibus deduxit, non adeo eſt abſona: quod ideo addendum duxi, quia res hæc ſummis viris NELLERO & HARZEMIO non ita pridem litigandi anſam dedit: quæ ſane quæſtio, quod pace eorum dixerim, tantas rixas haud meretur.

§. II.

Fieri enim non poterat, ut inſignis hominum multitudo diu junctas ſedes haberet, quin controverſiæ inter ipſos orirentur, atque legibus opus eſſet: * neceſſario igitur poteſtas aliqua civilis inter eos exiſtere debebat. Quid quod mutui auxilii ratio, & innumera ſocialis vitæ commoda ſocietatem civilem, qua nihil beatius fingi poteſt, exigere videbantur. **

* Quo pertinet, quod vulgo dicunt: ſi judicia non eſſent, alter alterum devoraret.

** An homines unquam in ſtatu, ut ajunt, mere naturali una vixerint, aut vivere dudum potuerint? nondum liquet. Negat HOBBESIUS *de Cive C. IX. XIII.* quem late refellit PUFENDORF *de J. N. & G. L. VII. C. II. §. 5. 6. 7.* & ſuccincte SCHMAUSSIUS *Diſſ. cit. §. 6.*

§. III.

Cum vero homines libertatis ſoleant eſſe amantiſſimi, ab initio de ſalute Reipublicæ communi conſilio deliberatum, & rei ſummam penes univerſos fuiſſe arbitror: neque enim credibile eſt, eos confeſtim & uno velut momento,

mento, ejurata libertate, in alienam poteſtatem conceſſiſſe. *

* PUFENDORF *de J. N. & G. L. VII. C. V. §. 1.* Sunt, qui rei ſummam ſemper penes populum exiſtere propugnarunt: ſed regum cauſam defendit GROTIUS *de J. B. & P. L. I. C. III. §. 8. ſeqq.* Adde HERTII *Opuſc. T. I. Diſſ. IX.*

§. IV.

Multæ interim exſtare potuerunt cauſæ, ut populus ſui juris regendi jus à ſe abdicaret, unique aut pluribus traderet: * interdum enim is civitatis ſtatus eſt, ut videatur niſi ſub unius, paucorumve imperio ſalvus eſſe non poſſe. ** Quin & quantis populare regimen incommodis obnoxium ſit, complures ſerius experti ſunt.

* Tres gubernandi formas ita deſcribit SENECA *Epiſt. 24. Interdum populus eſt, quem timere debeamus: interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi in ea timentur viri: interdum ſinguli, quibus poteſtas populi & in populum data eſt.* Et brevius TACITUS *L. II. annal. Cunctas nationes & urbes, aut populus, aut primores, aut ſinguli regunt.*

** Aſt quænam gubernationis forma altera præſtantior ſit? diverſa diverſorum ſunt judicia. Quam quæſtionem latius ſcholaſtici, ſed parum ex uſu tractare ſolent.

§. V.

Cui ita populi voluntate jus ſummæ poteſtatis delatum, omnem civitatis curam habet, belli pacisque tempore: ipſe urbs tota eſt, ejusque actus ulterius juri haud ſubſunt. Subditis parere competit, illi, ad civium tranquillitatem quæ facienda ſint, cogitare, unoque regit cuncta arbitrio. *

* Ut in civitate pax & tranquillitas vigeat, leges condit, iisque ut cives pareant, præmii ſpe, metuve pœnæ efficit:

jus dicit, aut, qui lites dirimant, Magiſtratus conſtituit: tributa indicit, quo onera Reipublicæ ferri queant: Religionem quoque curat, ne cives pravis doctrinis imbuti nihil non audeant: ut à vi extranea tuti ſint, de bello, pace ac fœderibus decernit: verbo: quæcunque ad imperii rationem, ſecuritatemque civitatis pertinent, ab uno ejus nutu pendent.

§. VI.

Noverint autem omnes, quibus imperandi facultas conceſſa eſt, omne regimen eorum, qui reguntur, non qui regunt, cauſa eſſe comparatum, ac ſi leges, quibus ipſis poteſtas populi & in populum data eſt, ſusque deque habeant, & manifeſte hoſtes ſe ferant, à ſubditis, quibus adverſus immanem ſævitiam ſe tuendi libertas eſſe debet, imperio exui poſſe. * Illa interim cautio tenenda, ut non illico propter leviſſimam injuriam in arma ruant, ſed multa tolerentur potius, quam vi reſiſtatur. **

* Abſit tamen, ut Monarchomachis hisce favere velim. GROTIUS *de J. B. & P. L. I. C. IV. §. 7. ſeqq.*

** PUFENDORF *de Offic. Hom. & Civ. C. IX. §. 4.* ſtatuit, ſubditos fuga potius ſibi conſulere, & quævis perpeti debere, quam ferrum in *Patrem Patriæ* ſtringere. Cui merito illud SENECÆ *L. III. cont. 9.* oppono: *etſi in omnibus parendum Patri, in eo non parendum, quo efficitur, ne Pater ſit.* Et vero cur omnes propter unum ſtultiſſimum hominem bonis cederent?

§. VII.

Hinc fieri ſolet, ut, qui civili imperio ſubeſſe decreverunt, legem normamque regiminis præſcribant, &, quo mitius habeantur, futuro regi quædam quaſi imperent adinſtar manentis præcepti: * neque tamen deſinit ſummum eſſe imperium, etiamſi is, qui imperaturus eſt, pro-

promiſſis quibusdam obligetur, quæ ei procul habere nefas ſit. **

* Sæpe enim gens aliqua exemplis edocta, civitatem abſoluto unius juſſu minus feliciter regi, ne Tyrannidem ſubeat, arctius imperium reddit: cujus rei recens Sueciæ hiſtoria exemplum præbet.

** GROTIUS *de J. B. & P. L. I. C. III. §. 16. n. 4.*

§. VIII.

Hodie, ſi, quæ per Europam ſunt regna, cominus intueamur, vix aliquam civitatem, quæ ad hanc illamve regiminis formam omnino exacta ſit, reperiri puto. Cujusmodi Reipublicæ genus irregulare vocari ſolet: fere uti naturalis diſciplinæ cultores actum aliquem turpem exiſtimant, ſi cum effecto eorum ſyſtemate non exacte conveniat. Ego ex voluntate jus omne metiendum eſſe opinor: de ſua enim cuique civitate ſtatuendi facultas libera eſt. *

* Neque alia iis regula imperari poteſt, præterquam honeſtas naturalis, & utilitas, cujus rationes quilibet populus ex ſuo ingenio ac ſcopo æſtimat. MASCOV *Princip. jur. publ. L. III. C. I. §. 9.*

§. IX.

Aſt faciſe contingere poteſt, ſtatum aliquem paulatim ita moderari, ut deinde quaſi biceps appareat, nec penes quem rei ſumma ſit, ſciri queat. Quod de Polonia multis videtur: * neque etiam, qualis Germaniæ ſtatus ſit, inter eruditos ſatis conſtat. **

* Ubi, quidquid ſtatuitur, irritum habetur, ſi vel unus ex infima nobilitate diſſentiat. HARTKNOCH *L. II. de Polon. C. I. §. 10.*

** Conf. *Sectio IV.*

§. X.

Cum vero penes unum & plures Majeſtas ſimul exiſtere nequeat, & maxime interſit ſcire, cui illa competat? operæ pretium cenſui, ſi, quid de GERMANIA * ſentiam, ut potui breviſſime eruditorum examini exponerem. Satis interim feciſſe mihi videor, ſi, quod volui, commodis meis ſtuduerim, atque in ipſo opere certa juris publici principia mihi inculcare licuerit.

* Cujus ſtatum probe cognitum habere & per ſe inſigne, & Germano imprimis neceſſarium. Cæterum omnem in concinnitate ſcriptionis laudem pono, nec ad rerum tractandarum multitudinem adjungendo verborum copiam lectori faſtidium parere volui.

SECTIO II.

DE ORIGINE ET PROGRESSU IMPERII ROMANO-GERMANICI.

§. I.

Sec. I. II. III. ANtiqui Germaniæ populi tot pene in civitates erant ſegregati, quot nationes inter ipſos exſtiterunt, populari ut plurimum regimine uſi: neque Reges Ducesque, niſi ingruente bello, illos ex nobilitate, hos ex virtute ſumſerunt, auctoritate ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate præditos. * De minoribus rebus principes conſultarunt, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea, quorum penes plebem arbitrium erat, apud principes prætractarentur. **

* TACITUS *de ſitu & Mor. germ. C. XI. §. 6.*

** Idem *C. XII. §. 1.* Add. HERTII *notit. vet. germ. popul. P. I. C. IV.* HUGO *de ſtatu reg. germ. C. I.*

§. II.

§. II.

Non prius uno Imperio complexi ſunt, quam, dum ſinguli pugnarunt, univerſi victos ſe deprehenderunt. * *IV. V.* Alemanni in Franciam ingreſſi primum ingenti ſtrage fuſi *VI.* ſunt, ac paulatim omnes armis ſubacti; ducesque ipſis cum *VII.* ex Francorum genere, tum ex ſtirpe gentis ſuæ dabantur, relicta etiam victis avtonomia, ſeu facultate ſuis legibus vivendi. **

* Nec enim, in commune ſaltem ut conſulerent, adduci potuere: quin ſæpius armis inter ſe colliſos, probat locus TACITI *de M. G. cap. 33. §. 1.* ſimul exclamantis: *maneat quæſo, duretque gentibus, ſi non amor noſtri, at certe odium ſui. Quando urgentibus Imperii fatis nihil jam fortuna præſtare melius poteſt, quam hoſtium diſcordiam.* Num felicius hodie ſeculum vivamus? alii judicent.

** HERTII *notit. vet. franc. regni C. I. §. 12. 13.*

§. III.

CAROLUS M. Francorum Monarchiam ad ſum- 769.
mum eduxit faſtigium, in legibus ferendis, dicendoque jure ſupremo ſemper uſus arbitrio; neque enim concilii, quod ſæpe quotannis vicibus cogebatur, plus quam conſiliaria fuit auctoritas. Magnos & formidandarum opum Ducatus prudenti conſilio in plures Comitatus deſcripſit, ac, qui comitibus adjutores eſſent, Epiſcopos adjunxit, Miſſosque regios, qui in eorum adminiſtrationem inquirerent, crebro in Provincias delegavit. * Aſt illud forte non ſatis provide ab ipſo factum, quod jam nonnulla imperii jura, ut nummos cudendi & judiciorum jus, ** Epiſcopis largiri cœperit. ***

* HERT. *de orig. & prog. ſpec. Imp. rerump. §. 5.* Religione dextre uſus, ut Saxones domaret, multosque Epiſcopatus inſtituit.

** Sen-

** Senſim invaluit, ut Epiſcopi de ſummis regni negotiis in conſilium adhiberentur, & quoniam ſolæ propemodum litteras ſciebant, indulſerunt Imperatores, ut lites cauſasque deciderent: quo factum, ut omnem pene ſecularem jurisdictionem ad ſe traherent. FLEURY *Inſtit. jur. eccleſ. P. III. C. I. §. 2. 5.*

*** Superioritatem vero territorialem illis nondum datam eſſe evicit GROTIUS *de jure ſummæ poteſtatis circa ſacra.* Id enim non niſi paulatim contigiſſe conſtat.

§. IV.

814. Non iisdem inſtitit veſtigiis LUDOVICUS PIUS, * comitesque, eo imperante, altius ſupercilium erigere, ** provinciæ denuo in ducatus redigi, *** ac villæ regiæ fidelibus hereditario jure tradi cœperunt. Summopere vero imprudentiam ejus arguebat, quod viduus inter filios primi tori regnum divideret: qua re non ſolum Francorum Monarchiam, quæ omnibus terrori eſſe poterat, fregit concuſſitque, ſed & ſemina maximarum diſcordiarum inter liberos ſparſit. ****

* Græcam linguam enim magis, quam regendi artes callebat. THEGANUS *in vita ejus. C. XIX.*

** Ob nimiam lenitatem omnibus ludibrio erat. Egregia BAYLII obſervatio *in Dictionaire critique voce: Edouard. IV. lit. F. Pour renverſer un Prince, qui a sû ſe faire craindre, il faut un orage: mais pour faire tomber un Prince ſcrupuleux & debonnaire, il ne faut que ſouffler deſſus.*

*** Forte quia parui Comitatus ad hoſtium vim depellendam inepti videbantur.

**** HERT. *de orig. & prog. ſpec. Imp. rerump. §. 6.*

§. V.

Neque, niſi mortuo jam parente, inter filios convenit, ut LOTHARIUS Auſtraſiæ partem, ac cum regno Italiæ

liæ Imperatoris nomen, Galliam CAROLUS CALVUS, &
LUDOVICUS, qui inde etiam GERMANICI nomen 843.
adeptus est, totam independente jure consequeretur Germaniam: qua bene ordinanda comites, quibus regni fines curæ essent, constituit, communique decreto A. 860. apud Confluentes cuso promisit, se deinceps ex statuum consilio regnaturum, illosque ad *fidelitatem* atque *obedientiam* sibi adstrinxit, nec non *consiliarios & imperii adjutores* esse jussit.*

* Citra tamen communicationem jurium imperii, quod sæpius fieri civilis prudentiæ magistri nos docent. Decretum exhibet SCHILTERUS *Inst. jur. publ. T. II. p. 45.*

§. VI.

Quolibet interim veterem potentiam ambiente, cruentis sæpe bellis collisi sunt, donec extincta LOTHARII, atque impubere LUDOVICI BALBI familia CAROLUS 880.
CRASSUS plurima iterum ditione sua complecteretur, Augustique dignitatem denuo consecutus sit. Sed nihil Imperatore dignum gessit, regnisque brevi exutus est, * unoquoque de suis visceribus regem sibi creante. **

* Illud luctuosum, quod, qui Carolo M. potentia par erat, jam, unde viveret, vix habuerit.

** Sicque insignis Carolingorum potestas denuo in partes scissa, luculento signo, nihil tam esse lapsui proximum, quam dum ad summum pervenit.

§. VII.

A Germaniæ Principibus post aliquot dissensiones
ARNULPHUS Rex electus est: isque Italiam armis 887.
recuperare tentavit, sed Imperiali titulo non semper usus est, eoquod nefas esse creditum, eo insigniri, si non à pontifice collatus esset. * Demum veneno infectus miserando morborum genere obiit, eique LUDOVICUS 900.

INFANS in tenera ætate ſucceſſit, quocum Carolina ſtirps per Germaniam ſimul extincta eſt. **

* BARONIUS *T. X. annal. p. 602.*

** Sunt, qui hoc ævo Germaniæ populos libertati ſuæ jure poſtliminii fuiſſe reſtitutos, Ducesque ſupremum territorii jus in integram Provinciam proprio jure exercuiſſe, omnesque Comites dominatui eorum fuiſſe ſubjectos, autumant. Quæ hypotheſis, in LUDEWIGII cerebro enata, jam dudum falſitatis convicta, paucosque hodie ſectatores habet. Vid. ejus *Diſſ. de Henrico Aucupe*, & *Comment. ad A. B. Proœm. §. 7.* Quem ſolide refellit KOPP. *de inſigni Different. inter S. R. I. comit. & nobil. immed. §. 11. 12.* Id vero inter omnes conſtat, Imperii ordines, turbatis jam Germaniæ rebus, multum poteſtatis conſecutos eſſe. P. DANIEL *Hiſt. de France dans la pref.*

§. VIII.

912. Tandem CONRADUS I. regno inteſtinis diſcordiis lacerato, Hungarisque Germaniæ provincias infeſtantibus, *cunctis à populis* * Imperio admotus eſt: qui totus in eo erat, ut principes rebelles ad fidelitatem perduceret: ** duoque in comitiis capitis pœnam luerunt. ***. Priusquam vero ex hac vita migraret, quem antea tantopere inſecutus, regni ordinibus commendavit: **** qui & uno omnium conſenſu in Regem adoptatus.

* LUITPRANDUS *L. II. C. VII.* DITTMAR. MERSEB. *L. I. p. 3.* Miror igitur fuiſſe, qui eum à Francis duntaxat electum eſſe putarunt, ſola diſſentiendi libidine.

** Jurene, an injuria? quidam dubitant: ego jure factum puto: non enim poteſtas ejus reſtricta legitur, Regemque cum elegerint, ei parere neceſſe habuerunt; fruſtra vero de libertate gloriantur, qui in ea perſiſtere noluerunt. Diſſentit LUDEWIG *Diſſ. de Germania principe ſub Conrado I. C. IV. §. 4. ſeqq.* ſed vid. GUNDLING *de Statu Reip. Germ. ſub Conr. I. §. 7.*

*** Jam

*** Jam TACITI tempore licuit apud concilium accuſare, & diſcrimen capitis intendere, *de M. G. C. XII.*

**** Conſultius credens ultro dare, quod per vim ipſe ſibi ſumere poterat, aut ne iſte à reliquo ſe ſe corpore Germaniæ ſepararet. Placet hac occaſione MONZAMBANI *C. II. §. 4.* de Auſtriacis obſervatio.

§. IX.

HENRICUS AUCEPS plurimas nationes bello compreſſit, Saxoniam oppidis munivit, atque ad armorum diſciplinam Germanos inſtituit; * multaque ducibus, eo regnante, regalia conceſſa ſunt. Infirmitate correptus indictis comitiis id egit, ut filium Imperio præficeret, ** obiitque rebus omnibus rite compoſitis. 919.

* GUNDLING *Diſſ. de Henrico Aucupe p. 120.* ut nobilitatem ad arma redderet aptiorem, ludos equeſtres, ſeu torneamenta inſtituiſſe fertur, quibus nobiles magno impetu haſtarum ictus invicem ingerere, ſe equis dejicere, humique proſternere allaborarunt. Sed cum multæ cædes inde orirentur, abrogati ſunt, hodieque ſolius recreationis cauſa inſtituuntur, nec dimicantium corpora petuntur, ſed equo ad metam dextre velociterque flectendo certatur. NEUMANN *Jus Principum privatum T. I. L. II. §. 203. 204.*

** Id vero commendationis magis vim apud populum habebat, quam veræ alienationis.

§. X.

OTTO M. regia auctoritate uſus, rebelles morte, exilio, aliaque ratione compeſcuit, atque de ducatibus pro arbitrio fere diſpoſuit. In eo autem non ſatis providum fuiſſe conſtat, quod Epiſcopis, Ducibusque nimiam poteſtatem, ac illis quidem integros Ducatus regendos conceſſerit. * Italiam, à Germanorum Regibus aliquamdiu derelictam, in gentis pariter ac nationis patrimonium denuo 937.

redegit: ** Imperialem quoque coronam, *** jusque eligendi Pontifices consecutus; **** sed iisdem insigni pariter juramento obstrictus est. *****

* FLEURY *Instit. jur. eccl. P. I. C. I. §. 10.* eo remissionis disciplinæ ecclesiasticæ originem refert, quod major Episcoporum pars domini territoriales facti sint: aitque fieri vix potuisse, ut inter tot aulæ negotia ecclesiasticus candor purus illibatusque conservaretur. Quod vero nonnulli ajunt, Episcopis seculari regimine opus fuisse, ne subditi ad pristinum cultum redirent, in medio relinquo. Add. ejusdem *Hist. eccles. T. XII. Disc. prælim. §. 10.* quam quæso legant ii, qui, quod ipsi nesciunt, mox hæresin putant.

** Qua de re appositè PUFEND. *dans l'introd. à l'hist. de l'Europe T. II. C. VIII. p. 150. Toutes ces conquêtes, & dignités ne fûrent pas fort avantageuses à l'Allemagne; car toutes les fois, que les habitants s'avisoient de se soulever, il falloit y mener des armées, & consumer assez inutilement les forces & l'argent de l'Empire.* Quod Galli quoque serius experti, constanti proposito, se deinceps rebus Italiæ nunquam immixturos. Conf. *Hist. Galliæ sub Henr. II.*

*** Cum Pontifice, ipsisque Imperatoribus græcis ea de re tractatum: eorum quasi consensu opus, Germaniæ Reges ut Imperatoris titulo insigniri possent. De quo alia occasione ita rationes subducit FLEURY *dans l'histoire eccles. T. XX. p. 50. En quoi ce qui me paroit le plus remarquable, n'est pas la pretension des Papes, mais la credulité des Princes.*

**** Principum ut plurimum consensu opus fuit, qui cum viderent, quanta eorum inter subditos esset auctoritas, non facile alios, quam quorum fides ipsis explorata esset, eligi patiebantur. FLEURY *Inst. jur. eccl. P. I. C. X. §. 4.*

***** Conf. omnino *dist. 63. c. 23. & 33.* Aliqui eum homagium præstitisse putant, sed hoc indignum foret: id enim non nisi à subditis præstatur. Notum illud HORATII *L. III. od. I.*

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis.

§. XI.

§. XI.

Idem fere ſub OTTONE II. ac III. Germaniæ ſtatus fuit; * neque multum ſub HENRICO II. mutatum, niſi quod omnes, erga Clerum juſto liberaliores, Imperii bona profuderint, ** ſeque fideles defenſores ac Patronos Sedis Apoſtolicæ fore, jurato appromiſerint. Atque hæc origo Advocatiæ eſt, quam hodiedum Imperatores primo ſtatim Capitulationis articulo Pontifici ſpondent; ideoque CAPUT ORBIS TERRARUM dici merentur. *** 974. 983. 1002.

* Mortuis OTTONIBUS de ſucceſſione aliquamdiu dimicatum eſt, quod regnum ſucceſſivum fuiſſe arguit: ſique electionis mentio occurrit, id de ſolenni inauguratione capiendum.

** Id enim, ſi ad Politices regulas exigatur, ad convulſionem ſtatus publici non parum contulit: intereſt vero Reipublicæ, ne Eccleſia omnium rerum Domina fiat: hinc lege civili alienationes in *manus mortuas* prohiberi ſolent. Aſt ne quid per invidiam dixiſſe videar, conf. FLEURY *Inſt. jur. eccl. P. II. C. XII. §. 5.*

*** Reliquiæ ſunt famoſi dogmatis de utroque orbis capite, ſpirituali ſcilicet ac ſeculari: ex eoque ortum, ut hodie Imperatores cæteros Reges emineant. Nec eſt, quod *R. P.* HARTZHEIM *Diſſ. de definit. Ulpiana* JCtos ideo ignorantiæ inſimulet. Sed ipſe, ni fallor, erravi, quod olim MAGNUM NIHIL appellaverim, miratusque ſim, hoc ſagaciore ſeculo defunctum Luſitaniæ Regem titulo FIDELISSIMI mactari voluiſſe: tales enim tituli inter Reges, qui honori ſibi ducunt, ſe chriſtiana ſacra ſectari, præcedentiæ fundamentum eſſe ſolent.

§. XII.

Deleta regnante familia, ad populum rediit electio, * habitoque cenventu CONRADUS SALICUS, Francorum Dux, imperio potitus: isque armis Italiam ingreſſus, vi Imperiale diadema ſuſcepit: redux plures dejecit muni- 1024.

tiones, exulesque esse jussit, qui turbas ciebant. Qui ei
1039. successit HENRICUS III. Imperii jura manu ac consilio defendit, sustulit Pontificum dissidia, atque auctoritatem ubique stabilivit. **

* Inter Moguntiæ, Wormatiæque confinia, loco planiciei causa *multitudinis* capace, regem electuri convenerunt: nulli igitur adhuc Electores. WIPPO *in vita Conr. Sal.*

** Germania ad hoc usque tempus domi aut foris nunquam lætius effloruit: summa rerum penes Imperatores, statuumque potestas non nisi *consiliaria*, *dependens* ac *vicaria* fuit. Duces Comitesque functiones suas ad heredes transmittere summa quidem ope annisi, sed superioritatem territorialem consecuti nondum sunt: neque nisi sensim hereditario jure, feudi tamen lege, potiti esse videntur: eo fortassis consilio, ut si res suas defenderent, ingruentibus bellis promtius pericula adirent. HERT. *de orig. & prog. spec. Imp. rerump.* §. 7.

§. XIII.

1056. Ast postquam sub HENRICO IV. & V. principes
1106. immensis opibus ac potentia augeri, atque ab Imperio deficere. Romani vero Antistites magna audacia * Reges non excommunicare solum, sed & imperio privare, ac subditos solvere à juramenti vinculo, ** eos jure investiendi Episcopos exuere, *** ac denique omnia interverti cœperunt: tum enimvero de Germania actum fuit. ****

* Sit venia verbo: certum enim est, Pontifices hac tempestate banni fulmine multum abusos esse. Audiamus summe Catholicum Abbatem FLEURY *Inst. jur. eccles. P. III. C. XX.* §. 3. „ Gregorius VII. effectus excommunicatio-
„ nis super omnes limites protulit, censuitque, principem
„ excommunicatum omni potestate privari, vasallos à ju-
„ risjurandi fide, subditos ab officio parendi liberari. Sed
„ nimium terribilem Ecclesiæ potestatem redditurus con-
„ temtam reddidit, remque eo deduxit, ut laici censuras
„ sus-

„ susque deque haberent, & saniores Episcopi ad eas de-
„ currere dubitarent. „ Editio gallica ejusdem plane tenoris, & conferri potest *T. II. C. XX. p. m. 131.* Add. ESPENII *Tract. de censuris eccles. C. VII. §. 3. C. VIII. §. 3. 7. C. IX. §. 4. Tract. de recursu ad Principem C. I. §. 7. C. III. §. 9.*

** Quod iis haud licere, prima *quatuor propositionum*, quæ Gallis sunt legum instar, audacter innuit. Ingenue igitur FLEURY *l. c. P. III. C. XXV. §. 3.* „ Nos detestamur do-
„ ctrinam sequiorum Theologorum, qui potestatem Cla-
„ vium per obliquum ad res seculi detorquentes, Principem
„ excommunicatum e solio deturbari, subditos fidei jura-
„ mento solvi, Regnaque aliis donari posse crediderunt.
„ Contra nos credimus, hanc doctrinam sacræ scripturæ &
„ exemplo veterum christianorum adversari, eamque Rei-
„ publicæ tranquillitatem subvertere & socialitatis vincula
„ laxare. „ Historiam hujus dogmatis recenset *Just. Henning.* BOEHMER *Jure eccles. Protest. T. V. p. 945. seqq.* qui ob documenta, quibus dictis suis fidem conciliat, omnino conferri meretur. Motus occasione libelli à SUAREZIO pro Curia Romana editi, cui titulus: *Defensio fidei contra errores sect. Anglic.* enarrat VASSOR *dans l'histoire de Louis XIII. T. I. p. 552. seqq.* Sed conf. MAIMBOURG *Traité historique de l'etabliss. & des prerogatives de l'Eglise de Rome, & de ses Eveques.* Et BOSSUET *Defens. declarationis, quam de potest. eccles. iast. sanxit Clerus Gallic.*

*** Imperatores factis Antecessorum ac *dist. 63. supra cit.* nituntur: Pontifices vero, ut ex observantia jus eliceri queat, ex una parte facultatem cedendi, ex altera ejus capacitatem requirunt.

**** Miraberis, Pontifices imprimis Germaniæ rebus tam crebro se immiscuisse? sed rationem cape: Imperatores Advocati Ecclesiæ sunt: igitur num digni sint? à sede romana inquiri potest, ac si tutelam Ecclesiæ negligentius curent, excommunicari, imperio exui, ac mille censuris perstringi possunt. Sic nempe creditum eo tempore. En commoda ADVOCATIÆ! Ast ne quis calami libertatem increpet,

crepet, conf. *Bullarium Rom. T. X. p. 137.* & *cap. Venerabilem. 34. de Elect. & electi poteſt.* Quod omnino legas velim. Recte igitur Epiſcopus Metenſis DU CAMBOUT in mandato ad diœceſanos ſuos exclamat: *Une doctrine, qui n'a pû produire autre fruit, que d'attirer ſur la Chretienté ce deluge de maux, peut elle venir du Ciel!*

§. XIV.

1126. His Germaniæ fatis LOTHARIO II. Saxoniæ Duci, ſumma rei delata eſt: * is futurus, niſi morte præventus, cujus virtute & induſtria Imperium ad priſtinam dignitatem reductum fuiſſet. Vicibus aliquot arma in Italiam movit, Pontifici protectionem ſtipulatus, ** motusque illorum temporum, quam potuit diligentiſſime, ſedavit.

* „ Viſum eſt *omnibus*, ut electionem in arbitrium Archi„ epiſcopi Moguntini & Lotharii ponerent, ut, quem illi „ utilem Romano Imperio adſtruerent, hunc procul dubio „ eligerent *univerſi.* CHRON. *Caſſin. cap. 87. §. 513.*

** Juramentum fidelitatis exhibet BARONIUS *Annal. eccleſ. T. XII. p. 221.* Falſa igitur epigraphe:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Poſt *homo* fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

§. XV.

Deinde vero HOHENSTAUFFICA GENS ſolium conſcendit; ſed Pontificibus exoſa inter perpetuas fere tur-
1138. bas regnavit: CONRADI III. tempore GUELFIS at-
1152. que GIBELLINIS enatis. * FRIDERICUS tamen BARBAROSSA amiſſa per Italiam jura conſtantiſſime vindi-
1190. cavit, ac Papæ conatibus maſcule ſe oppoſuit. ** HENRICUS VI. de hereditaria in Germania ſucceſſione aliquando cogitavit; ſed majus ſibi ac genti ſuæ odium conflavit atque invidiam.

* Quorum illi Pontificis, hi Cæſaris partes tuebantur, & per duo

duo fere ſecula orbem civilibus bellis impleverunt. Conf. GUNDLING teutſches Staats-Recht unter *Conr. III.*

** Legi merentur litteræ Imperatoris plenæ regii ſpiritus: nec non quid Germaniæ Præſules ſedi romanæ reſponſi dederint. Proſtant apud PFEFFING *T. I. p. 579.*

§. XVI.

Poſt fata Imperatoris, graviſſimæ enatæ ſunt factiones, aliis PHILIPPUM SUEVUM, aliis OTTONEM IV. eligentibus. Sed illo è vivis erepto, huic diadema obvenit, Pontificis inſtinctu à FRIDERICO II. mox regno pulſus: qui ipſe tamen non meliora fata expertus, Imperium HENRICO RASPONI, * ac WILHELMO HOLLANDO cedere debuit. ** Interim CONRADUS IV. fruſtra obnitente ſummo Pontifice, à multis ſimul agnitus eſt. CONRADINO vero papali ſuaſione *** capite truncato, Auguſta Hohenſtauffiorum familia penitus extincta eſt. **** 1198. 1208. 1212. 1246. 1248. 1252.

* Omnibus *riſui* erat, hinc *ridiculum* mandatum editum, ne *rideretur* amplius. RAINALD. *Annal. eccleſ. ad 1239.*

** Pontifex coronam Imperii toti Europæ quaſi venalem expoſuit, æterno Germaniæ opprobrio. Conf. FLEURY *Inſt. jur. eccleſ.* qui *P. I. C. I. §. 17.* ſic ait: Poteſtas ſecularis ſpirituali jungebatur *tanto exceſſu*, ut Pontifici tribueretur, jus deſtituendi Principes, & regna pro lubitu diſpertiendi.

*** Alii Pontificem mortem hanc ægre admodum tuliſſe aſſerunt, factumque impugnare ſtudent. Conf. SPONDANUS *ad 1268. T. I. p. 234.*

**** Ingens hoc tempore Reipublicæ mutatio contigit: complures ducatus in partes diſtracti, multique his ſpoliis auctiſunt: oppida quoque ad dignitatem Imperii civium evecta, familiæ equeſtres paulatim ſe ſe extulerunt, omnesque, vix credibile eſt, brevi quantum rem auxerint. Deinde vero expeditiones cruciatæ, quibus Germania egre-

giis Principibus, ac militum flore ſpoliata, conſilio non ſatis politico, ne quid pejus dicam, ab Imperatoribus ſuſcipi cœperunt: ubi illud imprimis crudele erat, in ſanguinem ſævire eorum, quorum mores & inſtituta in multis melius forte ſe habuerunt, & quibus nulla nobiscum neceſſitudo aut inimicitiæ erant. Elegans VOLTAIRII de iis judicium *dans l'eſſay ſur la poeſie epique C. VII. T. I. p. m. 311.*

„ C'etoit une choſe bien etrange, que la folie des Croiſa-
„ des. . Les Chretiens ſe liguoient pour venir du fond de
„ l'Europe deſoler un païs, ſur lequel ils n'avoient aucun
„ droit; & maſſacrer de ſang froid un venerable Monar-
„ que agé de quatre vingt ans, & tout un peuple inno-
„ cent, qui n'voit rien à deméler avec eux. Les Princes
„ quittoient leurs Etats, les epuiſoient d'hommes & d'ar-
„ gent, & les laiſſoient expoſés au premier occupant, pour
„ aller ſe battre en Syrie. Touts les Gentilshommes ven-
„ doient leurs biens & partoient pour la Terre-Sainte avec
„ leurs Maitreſſes. Les Croiſés meloient les debauches
„ les plus ſcandaleuſes & la fureur la plus barbare avec des
„ ſentiments tendres de devotion: ils egorgerent tout dans
„ Jeruſalem, ſans diſtinction de ſexe, ni d'age; mais quand
„ ils arriverent au ſaint Sepulcre, ces monſtres ornés de
„ Croix blanches, encore toutes degoutantes du ſang des
„ femmes, qu'ils venoient de maſſacrer apres les avoir vio-
„ lées, fondirent tendrement en larmes, baiſerent la terre
„ & ſe frapperent la poitrine: tant la nature humaine eſt
„ capable de reunir les extrémes. Conf. MAIMBOURG
„ *Hiſtoires des croiſades.*

§. XVII.

Tandem exorto in Germania longo funeſtoque INTERREGNO omnis prope felicitas periit: arma ubique, leges nullibi dominabantur, quisque occupans, quantum potuit, per vim: omnia ſine ordine, pro lubitu ac per tumultum fiebant, injuriis, rapinis, cædibusque ubique
1257. invaleſcentibus. * RICHARDUS Angliæ, atque ALPHON-

PHONSUS ** Caſtiliæ Rex electi quidem: *** at ille faſtidio rerum in Angliam reverſus, nunquam inde rediit; hic vero in Germaniam plane non venit, manifeſto contemtus ſigno ****

* Fœda hoc tempore Germaniæ facies, omniaque per vim agi oportebat, nulla ubi judicia vigebant: hæc enim ubi ceſſant, jus nocendi promiſcuum, bellumque quaſi inter hoſtes oritur: quis vero ullam in bello ſocietatem, & non ſummam potius diſſociationem quæſiverit? Graphice PÜTTERUS **vom Verfall des teutſchen *Juſtiz*-Weeſens. §. 2. Es wäre zu wünſchen, daß mancher dieſes Elend der mittlern Zeiten, den Jammer des Fauſt-Rechts, und die betrübte Folgen des Mangels höchſter Gerichte oder deren Verfalls, mehr einſehen und beherzigen mögte, um auf lebhafftere Begriffe geführet zu werden, wie ſehr das Wohl des ganzen Reichs darauf beruhe, und wie unglückſeelig ein ſolches Reich ohne wohlbeſtellte, und in hinlänglichem Anſehen erhaltene höchſte Reichs-Gerichte ſey.**

** Quod in jure publico ab iis notandum, qui extraneos eligi haud poſſe cenſent.

*** Hic primo apud ALBERTUM STADENS. *ad 1240. p. 312.* Electorum, qui hodie ſunt, quin & Archi-Officiorum clara mentio fit: „ Ex prætaxatione & conſenſu eligunt Imperatorem TREVIRENSIS, MOGUNTINUS & COLONIENSIS. PALATINUS eligit, quia *Dapifer;* Dux SAXONIÆ, quia *Marſcallus*, & Margravius de BRANDENBURG, quia *Camerarius.* „ Rex BOHEMIÆ, qui *Pincerna* eſt, non eligit, quia non eſt „ teutonicus. „ Hæc officia aulica ab antiquiſſimis Franciæ temporibus in uſu fuere, certis tamen familiis nondum annexa. Cæterum incerta Electorum origo, ac licet de Principibus, ad quos principaliter & de jure ſpectabat electio, quin & de Moguntini eos convocandi jure jam dudum à coævis mentio fiat, reliqui tamen excluſi necdum erant. OTTO FRISING. *L. I. c. 16. L. II. c. 1.* FERD. FÜRSTENB. *Regiſt. Imp.* GODOFRED. COLON. *ad 1210.*

BALUZII *Miscell. T. I. p. 472.* Henricus Raspo pontificis instinctu electus, à quo & Electores denominati: hinc BARONIUS *ad 996. n. 64.* eo Electorum originem refert. Sed Papa clientes suos nominando aliis præjudicio esse non potuit: & quæ tandem ei potestas his rebus se immiscendi?

**** Judiciali modo apud Pontificem de corona disceptarunt, cujus tanta hoc ævo fuit auctoritas, ut summi Imperantes jura sua arbitrio ejus committere veriti non sint: sed distulit sententiam ferre. RAINALD. *ad 1257. n. 3. seqq.*

§. XVIII.

Nullo interea Cæsare existente, Principes in territoriis suis majore potestate usi; nec non insignia jura sibi ar-
1273. rogarunt. * Hinc RUDOLPHUS HABSPURGICUS, cui nullæ opes viresque, consulto ab iis electus, ne deinceps ab eorum possessione dimoverentur: hic vero ne suspicatus quidem, unquam fore, ut qui ex Imperii patrimonio crevissent, non obtemperaturi essent sibi posterisque, nec Rempublicam gratis animis adjuturi. ** Pacem publicam diuturno interregno turbatam restituit, statumque Germaniæ omnibus modis emendare conatus est: *** neque tamen, si Ducatum vacare contigerit, familiæ suæ unquam immemor. ****

* Cum, qui subditis tutelam præstaret, non esset, Imperii ordines publicæ securitatis causa fœdera inierunt, & Provincias, officii intuitu concessas, velut suas propugnarunt, DOMINI TERRÆ (Landes-Herrn) dicti: hinc merito superioritatis territorialis origo in hoc tempus refertur. DATT. *de pace publ. L. I. C. IV. n. 21. seqq.*

** LEHMANN *chron. Spir. c. 95. p. 611.*

*** Ne Italiam adiret, vestigia terrebant, nec minus pro utilitate Reipublicæ se facturum confidebat, quam si Romæ fuisset coronatus.

**** MONZAMB. *de statu Imp. germ. C. II. §. 3.*

§. XIX.

§. XIX.

Eâdem politica ADOLPHUS NASSOVICUS, virtute magis, quam opibus potens, ad Imperium Moguntini favore evectus, odioque ejusdem ſolio mox excidit, * atque ab ALBERTO I. vice ejus ab omnibus Electoribus ** electo, proſtratus occubuit: *** qui opibus magis, **** quam Imperii gloriæ intentus, à proprio nepote, cujus ditiones hereditarias occupaverat, miſere interfectus eſt. 1292. 1298.

* SCHERZ *Diſſ. de Adolphi Naſſov. depoſitione Argent.*

** *Hiſt. Auſtral.* apud FREHERUM *ad 1298. p. 341.*

*** Ægre admodum factum hoc Papa tulit, monuitque Electores, ut denuo imperio exuerent: donec cum ſede romana in gratiam redierit.

**** Helvetiam Ducatumque Miſnenſem Domui ſuæ ſubjicere ſumma ope anniſus eſt: graviter vero cum Electoribus collidebatur, quod Rheni telonia iis eripere, feudaque aperta ad ſe trahere vellet: data enim occaſione ſui nunquam oblitus fuit.

§. XX.

Tum enimvero PHILIPPUS Galliæ Rex Imperium ambire, * ac Pontificem in partes trahere ſtuduit: ſed ille tam potenti advocato Eccleſiam committi periculoſum ratus, miſſo clam legato id egit, ut absque cunctatione HENRICUS VII. fervidus Eccleſiæ Zelator, Rex eligeretur: ** hic vero, habitis *Spiræ* comitiis, in Italiam majorum more coronas mendicatum, atque Imperii jura aſſertum ivit, *** Papæ fidelitatem ſpondens; **** ſed hauſto veneno mortem oppetiit. ***** 1308.

* Notari debet, Galliæ Reges id ſæpius tentaſſe: ſed vereor, ne ſtatuum libertati ſatis proſpectum eſſet.

** Electionis decretum, quod Electorum nomina complectitur, vid. apud PFEFFING. *T. I. p. 644.*

*** Quod politice capias velim: expeditiones enim Italicæ ad convulsionem ſtatus publici non parum contulerunt; nec oportebat forte, regni bello parti tot ſumptibus quaſi inveſtituram petere.

**** Conf. *Clem. Romani. de jurejurando.*

***** Quæ de morte ejus narrantur, crudelia nimis ſunt, quam ut fidem iis adhibere poſſim. Sed plura ejusmodi monſtra ætas iſta tulit, quibus, ut VOLTAIRE ait:

Tout devient legitime à qui vange l'Egliſe:
Le meurtre eſt juſte alors, & le Ciel l'autoriſe.
Mais juſte Dieu! peux-tu vouloir un crime?

§. XXI.

1315. Deinde LUDOVICUM BAVARUM inter & FRIDERICUM AUSTRIACUM, Electorum factione electos, * aliquamdiu de Imperio dimicatum eſt, ** donec inter eos conveniret, ut ille Italiam, *** hic Germaniam teneret, ac regiminis conſortium placuerit. **** Pontifex vero, neutri fas fuiſſe, Regis nomine uti, atque interim penes ſe rei ſummam eſſe comminiſcebatur. ***** Aſt Germania papali fulmine ſæpe attonita, ſpernere didicit, ****** lexque ſcripta eſt, Imperium ſoli Deo ſubeſſe, Regemque à Septemviris electum, absque Pontificis auctoritate adminiſtrationem conſequi. ******* Horrendis vero Pontificum Bullis tandem contremuit, inſtin-
1346. ctuque CLEMENTIS VI. CAROLUS IV. à quibusdam in Regem romanorum electus eſt: qui nova deinde diſſenſione orta, impenſa auri vi, Imperium ſolus obtinuit.

* Electionis decreta proſtant apud LEIPNITIUM *Cod. jur. gent. dipl. P. I. p. 96.*

** Juris publici erat, ut, qui armis valeret, imperio potiretur.

*** Pon-

*** Pontificem in anguſtias redigere cupiebat. Pactum edidit HERVART. *in Lud. Bav. def. p. 328.* Qui *p. 33.* de jure civitatis Wezlarienſis portas civitatis aperiendi, ubi electio coronatioque facienda, quædam ſat curioſa addit: quo jure hodie excidiſſe videtur.

**** KOELER *Diſſ. de voluntario Imp. conſortio inter Frid. Auſt. & Lud. Bav.*

***** NICOLAUS BURGUND. *in vita Ludovici p. 73.*

****** Excommunicationis pœnam, ſi in meritos feratur, haud procul habendam eſſe, jam puer ex FLEURII *Catechiſmo Hiſtorico Lect. LV.* didici. Sed conf. §. *XIII. not.* * uti & ESPENII *Jus Eccleſ. Tit. XI. C. VIII. §. 3.*

******* Utor verbis legis Imperii, quam vide apud PFEFFING. *T. I. p. 667.* ALBERT. ARGENT. *p. 129.* & GOLDAST. *Conſtit. Imp. T. III. p. 409.* Omne Regimen ne à Deo quidem immediate, nedum Pontifice, ſed ex libero populi arbitrio enaſcitur. Conf. FLEURY *Inſt. jur. eccl. P. III. C. XXV. §. 3.*

§. XXII.

E re Imperii erat, ut litibus in electionis negotio hactenus oriri ſolitis lege publica obviam iretur. * Hinc AUREA BULLA è ſtatuum conſilio ab Imperatore condita; multaque, imprimis, quæ ad Electionem, jura ** ac dignitatem Electorum, *** ordinemque curiæ imperialis pertinent, juris publici capita continet. **** Nonnulla tamen ne in uſum quidem deducta, alia, mutatis ſeculi moribus, locum amplius non inveniunt, aut lege recentiori abrogata: reliquis ſua conſtat auctoritas. *****

* Votum Regis Bohemiæ, de quo alias dubium, in ipſo ſtatim procœmio agnitum. Conf. §. *XVII. not. ult.*

** Ad ſeptem Electores principaliter quidem ſpectabat electio: rem tamen non adeo liquidam fuiſſe, ex ſolenni proteſtatione Electoris BALDUINI conſtat. Vid. AUCT. *rerum geſt. Balduini.*

*** Ne

*** Ne deinceps inter Electorum filios de voto dissensio esset, primogenitura *Cap. VII.* introducta. Quod non caute factum puto; quo magis enim status opibus crescunt, eo minor regis auctoritas: frequens vero fratrum divisio nullum emergere sivisset.

**** Nulla in *A. B.* Papæ mentio fit; prætensis juribus nondum tamen excidit.

***** MASCOV *Princip. jur. publ. L. I. C. II.*

§. XXIII.

1376. WENCESLAUS, patris largitionibus imperio admotus, * totus in pace publica restauranda, ac, ut potuit, schismate tollendo fuit; ** sed clericis invisus infausta fata expertus, moxque injustas ob causas exauctoratus est: *** RUPERTO, JODOCO **** ac SIGISMUNDO in ejus locum electis. Hic vero Imperii nullam fere curam gessit; eique ALBERTUS II. successor exstitit: à quo sibi maxima pollicebatur Imperium, sed præmatura morte extinctus est.

1400. 1411. 1438.

* Documenta vid. apud PFEFFING. *T. I. p. 679.*

** Bohemia bello *Hussitico* exarserat, Concilio Constantiensi serius medicinam parante. Prudentissima methodus est, si, exorta hæresi, litigantibus silentium imponatur, quæ si frequentius observata fuisset, pauciora vidissemus schismata: neque ita laqueus *intellectui* injicitur, sed *linguis* saltem & *calamis:* quis enim cuilibet deliranti Theologo, aut Jureconsulto sumptibus immensis statim indicet concilium totius orbis? *Princip. jur. publ. eccles. cath. C. V. §. 38. & 39.*

*** In privata vita excessit quandoque, ob toxicum quondam haustum vino deditus: cujus rei in PETRO M. nova Russorum historia exemplum præbet. Id vero Tyrannum non efficit, nec negligentior forte Reipublicæ administratio. Conf. THOMAS. *Næv. Jurisp. in app.* & SCHMINCKEN *Diss. de hoc arg.*

**** KOELER *Vindiciæ dubiæ electionis Jodoci.*

§. XXIV.

§. XXIV.

FRIDERICUS III. (IV.) nihil antiquius habuit, quam tuendæ pacis ſtudium, in rebus gerendis ſeditioſus tardusque; ſub eoque alii alios paruere comitiales conventus. A. 1447. inter eum & nonnullos * Imperii principes, necnon legatum Papæ CONCORDATA NATIONIS GERMANICÆ ** de cauſis beneficiariis *** erecta ſunt, quibus Pontifex à multis prætenſionibus receſſit: **** Sed plura adhuc ſuperſunt gravamina. ***** 1440.

* Neque enim omnes conſenſiſſe, ex ipſo concordatorum ingreſſu patet: *& nonnulli alii.* Quod ideo notandum, ut ſciatur, Curiæ Romanæ probandi onus incumbere, de conſentientium numero fuiſſe, quos Concordatis teneri cupit. Diſſentit BARTHEL *Diſſ. de Concord. Germ. Cap. II. §. 1. ſeqq.* ex rationibus mihi haud ſolidis. Proſtant **in der neueſten Samml. der Reichs-Abſch.** *P. I. p. 175. ſeqq.*

** Conventio hæc ex mente paciſcentium perpetua eſt, ac ſi quid contra eam machinetur Papa, Imperator velut Eccleſiarum advocatus implorari ſolet, ut apud Pontificem querelas inſtituat. Vid. CAP. NOV. ART. *XXIV. §. 1. 3.* Status *A. C.* addicti exemerunt ſe vinculo Concordatorum, niſi quantum ad menſes papales, qui anno normali 1624. in uſu fuerunt. Conf. *I. P.* ART. *V. §. 19. 20. 26.* & ART. *XVII. §. 3.* CAP. NOV. ART. *V. §. 6.* Num vero ex Concordatis dimenſurandum ſit jus Principum Proteſtantium in capitula & monaſteria ditionum ſuarum? ex eo pendere videtur, an vi Inſtrumenti Pacis in terris ſuis ſuſtineant vices Papæ, quoad ea etiam, quæ Pontifex, non ex natura Epiſcopatus, ſed pacto utcunque poſſedit? quod negandum puto. Conf. AUCT. *Princip. jur. publ. eccl. cath. C. XII. §. 12.* Catholici præſcriptione à Concordatis ſe liberare poſſunt: quis enim male iis verteret, ſi, Pontifice jus ſuum negligentius curante, ad priſtinam libertatem & decreta Concilii Baſileenſis redirent. Sed cum neutra pars contraventioni facile acquieſcat, validior ſæpe exceptio an-

tiquiſſimæ conſuetudinis, quam pro ſua libertate multæ Eccleſiæ concordatis opponunt. Denique, cum Regulæ Cancellariæ, quibus Reſervationes potiſſimum continentur, exſpirent exſpirante Pontifice, ſede papali vacante, ordinarii per omnes menſes jure ſuo fruuntur. BARTHEL *l. c. C. II. Sect. II. §. 1. ſeqq.*

*** Initio naſcentis Eccleſiæ unicus ad dignitates Eccleſiaſticas perveniendi modus electio fuit: hæc vero Epiſcopis primum, plebique chriſtianæ competiit: donec Principes, quorum magni ſæpe intererat, ut fidos, non Religionis ſolum, ſed & imperii ratione, Prælatos haberent, electionibus, connivente Eccleſia, præeſſe cœperint. Sed cum nundinari Epiſcopatus, indignosque Eccleſiæ obtrudere auſpicarentur, Pontifices, ut electiones ſartas tectas ſervarent, modis omnibus conati ſunt: quo factum, ut Germania in graviſſimas tempeſtates delata ſit; donec Henricus V. jure inveſtiendi per *baculum* & *annulum* cedere coactus fuerit. Cujus litis componendæ ſi prius ratio inita fuiſſet, multis ſcandalis cædibusque obviam itum eſſet. Hiſtoriam plenius deſcribit CONRING. *de confirm. Epiſc. German.* Conf. CORP. REC. *P. I. p. 4.* Senſim electiones, excluſo etiam populo Cleroque, ad Cathedrales devolvi cœperunt: resque aliquamdiu ita ſubſtitit. Aſt poſtquam Pontifices primum precibus, deinde mandatis, quæ ſubinde in excommunicationem deſierunt, Clericos Roma venientes, aut meritis graves commendarent Eccleſiis, iisque Religione quadam inſita gratificaretur: mox beneficia quædam, deinde omnia ſibi reſervarent: jus providendi ob negligentiam eorum, penes quos erat eligendi poteſtas, ſolo lapſu ſex menſium ad Pontifices devolveretur: tum enimvero de Capitulorum Collatorumque jure actum fuit. Tandem obicem his vitiis poſuit Concilium Baſileenſe; in Germania vero Concordatis circumciſæ ſunt nimiæ Pontificum reſervationes, electiones capitulis reſtitutæ, & annatis modus ſtatuminatus eſt. Hiſtoriam electionum erudite deſcribit BARTHEL *Diſſ. prælim. de Concord. Germ.* Conf. FLEURY *Inſt. jur. eccl. P. I. C. X. §. 15. & P. II. C. XV. §. 6.*

**** Quod

**** Quod vel ſolum argumento eſt, petitiones Pontificum non fuiſſe omnes juris divini. Aſt pinguior fuiſſet favor concilii Baſileenſis, niſi FRIDERICUS ab ÆNEA SYLVIO inductus eidem, cum læſione nationis Germanicæ, renunciaſſet. Gallia certe meliore ſorte gaviſa eſt.

***** Sunt, qui omnia ad decreta concilii Baſileenſis reduci poſſe optarent: quo jure Galli uſi ſunt: cur enim inclyta natio Germanica pejore loco ſit? Conf. GOLDAST. *Conſtit. Imp. T. II. p. 120.*

§. XXV.

MAXIMILIANO I. rerum potito * Germania 1493.
in circulos deſcripta novam quaſi faciem induit, ** ac reſtituta tandem pax publica, eique conſervandæ CAMERALE JUDICIUM erectum. *** 1495.
Inſignis quoque ſtatus publici mutatio contigit, quod jus *civile* ac *canonicum* moribus paſſim invalerent. **** Illud certe, ſtatui teutonico minime conveniens, adoptari non debuiſſet, hodieque, ſi de aliis legibus mature proſpiceretur, absque ingenti Reipublicæ damno, penitus abrogari poſſet: imo, ut fieret, optandum foret. *****

* Eum ſerio Pontificatum ambiiſſe, quæ aliquorum opinio eſt, mihi perſuadere non poſſum.

** Notari debet, hoc tempore totum orbem novam quaſi faciem induiſſe: nova ubique ratio ſtatus, nova regendi principia invaluerunt.

*** A prima Reipublicæ origine Germani in viribus magis, quam in judicio jus habuerunt: quin & cum lacte combibitus pugnandi amor dudum propagatus, hodieque adhuc durat: hinc fœdera, Ganerbinatus, atque Auſtregæ, litibus aut vi aut amice componendis, orti ſunt. At certe ſupremo Imperii judicio, ubi ſtatus jus experiri poſſent, opus erat: quo ipſo nexus eorum cum CÆS. MAJ. cujus Jurisdictionem antea vix, aut ne vix quidem agnoverunt, denuo adſtrictior evaſit. Sed una cum *Regimento* Imperii ſemel atque iterum, ac tertio collapſum omni cura reſtitui debuit.

**** Confluxerat nimirum Germana juventus ad Univerſitatem *Bononienſem*, cui horum jurium propagatio quaſi concredita erat; ex eaque, velut equo Trojano, prodiere judices, illud in uſum ſtylumque deducentes, quod in ſcholis didicerant.

***** Ipſi ſane Imperii ſtatus ut hoc jure ſemper utantur, diverſa eorum à Romanis inſtitutis negotia, moresque haud patiuntur. Hinc incertum in Germania jus.

§. XXVI.

Hoc ſupremum diem obeunte, FRANCISCUS I.
1519. Galliæ, & CAROLUS V. Hiſpaniæ Rex Imperium æmulati. * Tandem huic, certis tamen pactis, ** unanimi Electorum conſenſu, ſumma rei delata eſt. Illa præcipue cautio tenenda erat: „ ne ſucceſſionem in Germania medi„ tari, jure belli fœderumque abuti, Imperii leges inſuper „ habere, omnia vi armisque agere: *** ſtatus vero juri„ bus cum vi, tum precario adeptis poſtliminio exuere poſ„ ſet. Igitur poteſtas ejus limitari, atque ad Electorum aſ„ ſenſum adſtringi cœpit: **** idque inſuper cautum: „ ut Sedi Romanæ tutelam præſtet, Concordata nationis „ Germanicæ obſerventur: (a) ſe abſente *Regimentum* Im„ perii erigatur: Vectigalia absque Electorum conſenſu „ nulli concedantur: nihil ab Imperio divelli, nec doma„ nia ullo modo profundi patiatur. Electoribus vi Aureæ „ Bullæ conventus habere, ***** neminem inauditum „ banno ferire, neque ſtatus extra Germaniam evocare, „ aut nimiis comitiis tributisque onerare fas ſit: officia au„ lica non niſi teutonici obtineant: in negotiis Imperii, præ„ ter Germanicam & latinam, alia lingua non adhibea„ tur: ****** ac denique, quod huic Capitulationi ad„ verſum fiet, ſit nullum.

* Ab utriusque potentia ſibi timebant Germani: ſed Galli imprimis imperium averſati, qui cum in proprio regno vio-

violentum regimen assuetus esset, Germanos in principes idem tentaturus erat.

** Hæcque in Germania Capitulationis origo: vix enim est, ut gens aliqua ita in alterius potestatem concedat, ut cuncta unius arbitrio regi velit; sed regem eligendo, legem normamque regiminis præscribere solet: ipse tamen non minus Rex est, quod à populo, ne Tyrannidem exercere queat, provisum sit. Ex cujus principii neglectu, puto, oritur, quod juris publici doctores, quid de Germania sentire debeant, ipsi nesciant. Conf. *Sect. I.* §. 7.

*** Nulli omnino statuum, nec ipsi Imperatori licet, jus suum vi & armis prosequi, sed si quid controversiæ inter eos exortum, unusquisque jure experiatur.

**** Notari debet, Electores omni occasione usos, suam præ reliquis statibus prærogativam firmandi.

(*a*) Vid. quæ ad §. *XXIV.* notata.

***** Miror Conventus hos in desuetudinem abiisse, insigne Electoralis fastigii munimentum.

****** In Imperii tribunalibus usus utriusque linguæ est: regulariter tamen omnia germanice ventilari debent: hinc Sabaudiæ Duci, aliisque statibus in Camera usum latinæ linguæ denegatum esse, refert LIMNÆUS *ad Capit. Caroli V. p. 212. n. 14.* In causis vero Italicis ac Circuli Burgundici latina lingua admitti solet.

§. XXVII.

Ex quo vero D. M. LUTHERUS, instigatus à suis, primum indulgentias * impugnare, ac deinde monitis Cardinalis CAJETANI nihil deterritus, ad convulsionem ulteriorum veteris ** Religionis capitum progredi cœpit, insignis rerum conversio accidit. *** Aliquamdiu concordia tentata; sed neque iterata comitia, neque amica colloquia; nec tandem *Tridentina* Synodus, serius profecto indicta, ullius fructus erant. **** Cum vero Imperator, 1517. 1546.

icto cum Papa fœdere, JOANNEM FRIDERICUM Electorem Saxoniæ, & PHILIPPUM Landgravium publice proſcriberet, ad arma ventum; ſed cunctando victoriam, iſta æſtate ſine dubio reportandam, neglexerunt. Elector Saxoniæ bello captus & capitis damnatus, ab Electore Brandenburgico ſub certis legibus exoratus eſt: Landgravius Haſſiæ ſpontanea deditione captivum ſe ſtitit. Tandem inito prius cum HENRICO II. Galliæ rege occultiſſimo fœdere, MAURITIUS Elector Saxoniæ ***** & ALBERTUS Brandenburgicus Cæſari ſecuro bellum indicunt, ſimul ac inferunt, ſucceſſu omnino proſpero: idque conſecuti ſunt,
1552. ut *Tranſactio* primum *Paſſavienſis*, ac deinde *Pax religioſa*
1555. brevi conderentur, deciſione articuli principalis diſſidentis religionis in aliud tempus rejecta. ******

* Eæ tum temporis largius concedebantur, ut exhauſto Pontificis ærario fidelium Eleemoſynis ſuppetiæ ferrentur.

** Sic in Receſſibus Imperii paſſim vocatur religio catholica.

*** Exeunte ſeculo XIV. diſciplina eccleſiaſtica immane exitium paſſa erat, ac dudum remediis opus eſſe viſum: ſed Germania, regnaque Septentrionalia abuſibus iſtis, quibus oppreſſa fuerant, in tantum horrorem conjecta ſunt, ut maximam partem animum abjicerent, atque hoc obtentu jugum Eccleſiæ infauſto omine excuterent. FLEURY *Inſt. jur. eccl. P. I. C. I. §. 20.*

**** A. 1530. in comitiis Auguſtanis exhibita *Confeſſio*, ſive credendi formula quorundam Proteſtantium, ab hac urbe dicta *Auguſtana.* Eodem anno initum eſt fœdus Schmalcaldicum, quo Proteſtantes mutuam ſibi defenſionem ſtipulati contra vim, ſi quæ eis religionis ergo inferretur.

***** Qui licet Electoratum conſecutus, Principes Imperii tam propudioſa captivitate detineri, indignatus eſt.

****** Paciſcentes ſpes ſemper pulcherrima fovit, fore, ut amicabilis aliquando compoſitio ſequatur: quam in ipſa

Pace

Pace Weſtphalica ART. *V.* §. *48.* non penitus amiſerunt. Sed compoſitio hæc humanitus deſperatur ab iis, quibus aulicorum principia politica, & indies accreſcens de religione opinandi licentia perſpecta ſunt: ſane eam Catholicis æque ac *A. C.* addictis haud cordi eſſe, ſcripta factaque eorum produnt, amicabilem non adeo redolentia. Ex Proteſtantibus vid. HENNIGES *ad I. P.* ART. *V.* §. *48. Lit. H. & I.* Num vero LOENII ſcripta eo conducent? ſubdito.

§. XXVIII.

Poſt pacem religioſam tractabatur aliquoties de componendis fidei diſſidiis; ſed opus ſaluberrimum languit. Interea Proteſtantes non minus, quam Catholici ſtatus jus reformandi in territoriis ſuis ſummo rigore exercuere, multique Epiſcopatus ab illis *cum* vel *ſine onere* exemti ſunt. * Quare Imperium rurſus in factiones diviſum eſt, *A. C.* addictis *unionem*, Catholicis *ligam* confiantibus, conſcripto 1609.
utrimque exercitu, vocatisque in auxilium ſociis exteris. Poſt decennium erupit bellum tricennale, occaſione rebel- 1619.
lionis Bohemicæ ortum, Edicto reſtitutorio FERDINANDI 1625.
Imp. ingraveſcens, pace Pragenſi nequicquam extinctum. 1635.
Poſt variam belli fortunam, rebus Catholicorum in pejus ruentibus, cogitatum eſt de Pace A. 1641. Cœpti Monaſterii Weſtphalorum & Oſnabrugis congreſſus A. 1644.
Abſoluta pacificatio A. 1648. Conventum, ut tres in 1648.
Imperio religiones auctoritate publica vigeant floreantque: ** de quibus valet regula: ut inter utriusque *** religionis ſtatus omnes & ſingulos ſit *æqualitas exacta mutuaque*, **** ita ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum. *****

* Vide Martriculam Imperii apud STRUVIUM.

** Variis inſuper de reſervato eccleſiaſtico, ſola amicabili compoſitione in cauſis religionis, die annoque normali, jure reformandi ac diœceſano, pari numero Aſſeſſorum &c. ſaluberrime ſtatutis. *** Re-

*** Reformati in Auguſtana Confeſſione comprehenduntur, ac ſimul Proteſtantium nomine veniunt.

**** Quouſque illa ſe debeat porrigere, non ſatis liquet: obſcura ſunt verba: *Quatenus Reipublicæ, Conſtitutionibus Imperii, & præſenti Conſtitutioni conformis eſt.* Summatim dici poteſt, talem eſſe apud nos Reipublicæ formam, quæ omnium ſtatuum exæquationem non facile admittat. HENNIGES *ad I. P. medit. V. p. 129. lit. X.*

***** Conf. *I. P.* ART. *V. §. 1.* Perpetuitas hujus pacis eadem eſt, quæ pacis religioſæ; ejusque valorem Germano impugnare haud licet, nec attendere ad proteſtationem ſolennem INNOCENTII X. cujus rigorem ſubſequentes Papæ temperarunt, declarando verbis factisque, retentionem bonorum catholicorum ordinibus, ad religionem catholicam reverſuris, à ſe indultum iri. Sic nempe è re viſum. Ad litteram AUCT. *Princip. jur. publ. eccl. cath. p. 146.* Qui *C. XIV. & XV.* totam belli ſeriem ſuccincte nitideque exponit.

§. XXIX.

Interim, Germania tot tantisque malis agitata, ſtatus publicus non potuit non inſigniter mutari convellique. * Illud præprimis notandum, Imperii ordines ART. *VIII. §. gaudeant. I. P.* ſuperioritatem territorialem, jus ſuffragii, aliaque inſignia jura non tam conſecutos, quam in tranquilla eorundem poſſeſſione firmatos eſſe. ** Pontificis quoque poteſtas in eccleſiaſticis æque ac ſecularibus multum imminuta temerataque: his ſane ultro prudentesque hodie abſtinent Romani Antiſtites, neque electionis negotio amplius ſe ingerunt. ***

* Dici non poteſt, quanta religionis diſſenſio mala invehere ſit apta. Conf. VOLTAIRE *dans la Henriade chant II. verſ. 30. ſeqq. p. m. 27.* Quos ob ſui elegantiam, atque ut dictis meis aliquid ornamenti accedat, huc tranſcribere mihi temperare haud poſſum:

J'ai

J'ai vû nos citoyens s'egorger avec Zele,
Et la flamme à la main courir dans les combats,
Pour des vains arguments, qu'ils ne comprenoient pas.
Vous connoiſſez le peuple, & ſavez ce qu'il oſe,
Quand du Ciel outragé penſant vanger la cauſe,
Les yeux ceints du bandeau de la religion,
Il a rompu le frein de la ſoumiſſion.

Et *l. c. verſu 17. ſeqq. p. m. 26.*

Que periſſe à jamais l'affreuſe politique,
Qui pretend ſur les cœurs un pouvoir deſpotique,
Qui veut le fer en main convertir les mortels,
Qui du ſang herétique arroſe les autels,
Et ſuivant un faux Zele, où l'interet pour guides,
Ne ſert un Dieu de paix, que par des homicides.

Sane enim homines cædi & cruciari ob qualemcunque Dei cultum, etiam quibus ea crudelitas formidini non eſt, miſerari debent. Evolve omnino GROTII *Annal. Belg. L. I. p. m. 8. ſeqq.* & FLEURY *Inſt. jur. eccl. P. III. C. X. §. 4. 5.* ubi de Proceſſu Inquiſitionis, pari crudelitatis ſpecie, ita ait: „ Atque hoc eſt in Hiſpania omnium ſpectaculorum „ maximum: quod ut eo terribilius reddant, impœniten„ tes, ſaccis nigris, quibus flammæ infernales & dæmo„ num figuræ depictæ, indutos, in rogum conjiciunt. Hac „ ſeveritate opus eſſe exiſtimant, ut metu mali quidquid „ Judæorum ac Maurorum ſupereſt, qui ingenium non„ dum mutarunt, in officio contineatur. Alia Francis ſe„ det ſententia, perſuaſis, ad ulciſcenda crimina eccleſia„ ſtica, cum Epiſcoporum ſufficiat auctoritas, opus non „ eſſe delegatis extra ordinem, qui ad ultimum in tribunal „ ordinarium abire poſſent. Nam verendum eſt, ne ho„ mines, alienæ jurisdictionis adminiſtri, mandati regulas „ migrent, culpasque ac ſuſpiciones augeant, exaggerent„ que, ut ſit, quod agant. Porro inconcinnum eſt, ut in „ terris, in quibus per duo ſecula hæretici non tolerantur, „ quotidie inventi ſint, qui puniantur. Præterea metus ille „ hypocritas quidem, at vere Chriſtianos non faciet. Se-

„ veritas utilis est reprimendis nascentibus hæresibus ; sed „ si omni tempore , atque omni loco ad præscriptum le- „ gum stricte adhibetur , sacra nostra exosa reddit , efficit- „ que , ut justitiæ obtentu maxima mala patrentur. „ Fas quidem est Principibus omni secta suas purgare ditiones, sed ignis animadversione è medio tollere crudele nimis , & nihil cum indole veteris Ecclesiæ commune habet.

** Legi relegique tabulas Pacis Westphalicæ , nilque reperi Statibus Imperii concessum , quod non antea tenuere modo. Certe eos in negotiis publicis jure suffragii jam olim usos, ex dictis liquet : ac si quid noviter forte adepti sunt, tanti non est , ut statum mox adhuc Monarchicum illico Aristocraticam mixtamve , aut nescio quam irregularem, monstrosamque regiminis formam induisse asseri queat. Id saltem magnis litteris exprimi debuisset : igitur sicut ante fuit , sic & nunc est.

*** Vid. L'ORACLE *de ce siécle consulté par les souverains de la terre. edit. 1743. p. 5. seqq.* VOLTAIRE *l. c. chant IV. versu 241. seqq.*

§. XXX.

Deinde vero arctiores cum Imperatoribus Capitu-
1558. lationes iniri cœperunt. * FERDINANDUS I. ** neminem contra pacem religiosam turbatum iri spondet.
1564. MAXIMILIANUS II. vivo parente electus *** eum in modum adstrictus est : „ ut avulsa ab Imperio recupe- „ ret, **** vectigalia jusque monetam cudendi, absque „ Electorum consensu , nulli concedat, eorumque usurpa- „ tores Mandatis S. C. compescantur. Protestantes deni- „ que eum ab Advocatia Sedis Romanæ liberum esse jusse-
1576. „ runt. ***** RUDOLPHUS II. quæ parens promise-
1612. „ rat, denuo stipulatus. MATHIAS his legibus imperium „ nactus : Electorum uniones (Verein) confirmatum, eo- „ rumque exemtioni à Judicio Rothweilensi non contraven- „ tum , & collectas Reipublicæ bono impensum iri. In „ feuda

„ feuda Italiæ Imperiique, & num rite recognoſcantur? „ inquirat Imperator. Stapulæ Rhenique telonia nimium „ aucta tollantur: Electores, ſi de his conveniantur, non „ niſi apud CÆS. MAJ. in judicio ſtent; (*a*) nulla vero „ vectigalia ſine eorum aſſenſu deinceps concedantur. Si „ quem jure monetandi abuti contingat, ab eodem ſuſpen- „ datur, nec niſi Electorum præſcitu in integrum reſtitua- „ tur. Mediatis jus monetandi aliaque inſignia privilegia „ non concedantur. Regem Romanorum, ſi è re Imperii „ videatur, vivo Cæſare eligere iis liberum ſit. (*b*) Geſta „ Vicariorum confirmentur: feuda concedantur ad nor- „ mam primæ inveſtituræ. In arduis negotiis (wichtigen „ Sachen) ab initio Electorum ſaltem conſenſu utatur Im- „ perator. (*c*) Judicium aulicum bene riteque ordinetur, „ ac alternis ſaltem annis revideatur. FERDINANDO II. 1619. „ ut in feuda Italiæ inquirat, denuo injunctum: quibus „ Electorum conſenſu vectigalia obvenerunt, eos ſubditos- „ que ab iis liberos fore ſtipulentur: * Steuræ Imperii, ſi „ non eorum conſenſu alienatæ, retrahantur: ** Vicario- „ rum jura à nemine impugnari fas eſto: feuda caduca ne- „ mini deinceps concedantur: denique Conſiliarii aulici in „ adminiſtranda juſtitia Capitulationis Cæſareæ nunquam „ immemores ſunto. ***

* Cum jus publicum Imp. Rom. Germ. Capitulationibus potiſſimum contineatur, placuit ea, quæ huc maxime faciunt, ubique ſuccincte exhibere: ex iis vero de Germaniæ ſtatu optime conſtare debet. Id forte nemini incognitum, priori Capitulationi ſemper adhuc addi quædam, eisque neo-electum adſtringi. Occaſionem, qua hoc illudve Capitulationi inſertum, brevibus hinc inde indicabo.

** Carolus V. id uſque egit, ut Ferdinandus regiam dignitatem Philippo cederet; ſed noluit ille, ſtatusque violenti Hiſpanorum regiminis jam dudum pertæſi erant.

*** Ab Auſtriacis id ſemper omni cura actum, ut vivis parentibus filii eligerentur, ſicque quam directe non poterant, oblique adepti ſunt hereditariam quaſi ſucceſſionem. Eſt hæc recentiſſima eorum cura, quam ut pacato hoc tempore ſecunda excipiant vota, cordati exoptant. Vid. **Schmaußens unparth. Vorſt. desjenigen, was bey der Wahl eines Röm. Königs Rechtens iſt.** Sed conferri meretur **Moſers Staats-Arch.** *P. VI. p. 44. ſeqq.*

**** Injuſta avulſio ſit oportet: qui hodie ditiones Imperii detinent, pactis, derelictione, ac belli jure ut plurimum nituntur. Cæterum cum modus recuperandi Imperatori præſcriptus non ſit, leniora remedia, velut legationes pactaque, adhibenda erunt: armis enim vix tuto locus eſſe poteſt.

***** Ferdinandus I. reſervationem hanc Proteſtantium in Capitulationis formula oblatam tolerare noluit, ejusque omiſſionem obtinuit. Maximilianus II. vero eam admiſit, hodieque Proteſtantium Electorum nomine concipi ſemper ſolet.

(*a*) Inſignis hæc Electorum prærogativa, quod eorum vectigales cauſæ non in Camera, proceſſu ordinario, ſed Judicio aulico, mandati via, ventilari debeant.

(*b*) Num vero ad præconſultationes reliqui etiam ſtatus admitti debeant? denuo acriter diſceptatur. **Moſers Staats-Arch.** *P. II. p. 27. P. III. p. 132. P. IV. p. 149. P. V. p. 131. &c.* Add. *I. P.* ART. *VIII. §. 3.*

(*c*) Negotia magni momenti haud dubie ſunt, quæ ſecuritatem felicitatemque Imperii concernunt. Reliqui Germaniæ ſtatus hanc Electorum prærogativam ægre ferunt, ac ſuum conſenſum æque ab initio adhiberi volunt, manſit tamen hactenus hæc clauſula.

* Quod ipſum argumento eſt, Electores ſui non immemores eſſe.

** Poſtquam Imperatorum munificentia opes Imperii omnino acciſæ ſunt, denuo, ſed ſerius, de regio patrimonio cogitatum,

tum, ex quo tanti fastigii sumtus ferre queant: ne in electione opum ac divitiarum potissima ratio habenda sit.

*** A die factæ insinuationis summa Imperii Tribunalia Capitulationem in judicando sequi tenentur. BLUM *Proc. Cam. Tit. II. §. 9.*

§. XXXI.

Atque hi sunt Imperatores, sub quibus fatalis hæc belli tragœdia dudum satis exhibita est, donec FERDINANDI III. auspiciis pax exoptatissima in Germania reflorescret. (*a*) Interim durante bello hinc inde multa per vim atque injuriam fiebant, quin & Imperatores potestate sua plus semel abusi: hinc adstrictior Capitulatio ei præscripta est: * „Electoribus regii honores competant: ** „facultas comitia indicendi declarandique in bannum Impe„rii, nec non vectigalia concedendi, seu concessa prorogan„di, ad consensum eorum sit limitata: jus collectandi fœ„derumque comitiale esto. Conscripti milites non nisi ad „defensionem Imperii sint, & Statuum territoria permean„tes non sint oneri. *** Ordinatio Cameralis, modusque „exequendi observentur: in Judicio aulico semel cum cau„sæ cognitione decisum non retractetur. In perduellionis „crimine subditorum vasallorumque, bona eorum seu feu„da statibus in fiscum redigere liberum esto. **** Res „gratiæ in Cancellaria Imperii expediantur: Principum „Comitumque dignitas, nisi bene meritis, non confera„tur. Exclusio Electoris Trevirensis ***** ab electionis „negotio nulli sit præjudicio. 1636. 1648.

(*a*) Conf. §. *XXVII. XXVIII. hac Sect.* Meliore ordine hæc omnia concinnare non potui, sed à chronologica serie paulisper recedere oportuit.

* Prodierat medio belli HIPPOLITUS A LAPIDE *de ratione Status*, qui *P. III. C. II. seqq.* magna audacia in Domum Austriacam insurgit, Tyrannidis insimulat, atque ut è Ger-

mania pellatur, auctor ſuaſorque eſt. Eo miniſtri in negotiis publicis uſi, & ut videre eſt, non una vice ſecuti ſunt: multa enim ad ſalutem Reipublicæ egregie monita habet: violenta vero ægrotanti Germaniæ ſubinde medicamenta propinat. Conf. *Sever.* MONZAMB. *de ſtatu Imp. germ. C. VIII.*

** Aula Cæſarea mira ſemper propenſione Rerumpublicarum legatos Electoribus prætulit, forte eos deprimendi ergo: illi vero modis omnibus conati ſunt, ut regio honore mactarentur, ac Respublicas præcederent.

*** Mirum quibusdam videbitur, Cæſarem, cui nullæ ab Imperio opes, ut militem alat, adſtringi, ſtatusque ne hoſpitationibus quidem gravari. Sed plura ejusmodi paradoxa in jure publico ſunt, quæ, ſi vacat, peculiari ſcripto complecti animus eſt.

**** Ferdinandus II. ſub læſæ Majeſtatis prætextu multis nobilibus bona eripuit, Fiſcoque Cæſareo vindicavit: ſtatus vero eosdem ſuo Majorumque beneficio feuda tenere, ſibique jus Fiſci competere aſſeverarunt.

***** Is eo tempore captivus detinebatur, quod Galli partes, cujus protectioni ſe dabat, incaute ſectatus fuerat.

§. XXXII.

1652. FERDINANDUS IV. in Comitiis Auguſtanis his pactis electus eſt: (*a*) „ Advocatia Sedis Romanæ paci „ religioſæ non ſit præjudicio, * neque contra pacem Weſt„ phalicam ejusque exequendi modum quidquam ab ullo „ fiat. Electorum legati immediate Reges ſequantur, & „ Respublicas præcedant. Mediati ab exteris non prote„ gantur. ** In bello indicendo pangendoque fœdere, uti „ & iis negotiis, ſo von hohen Præjudiz und weitem Aus„ ſehen, unanimi Statuum, aut ſi res moram non ferat, Ele„ ctorum ſaltem conſenſu utatur. Collectæ pariter in Co„ mitiis, atque ad normam *I. P.* indicantur, ac nemini „ quotam

„ quotam ſuam remittere fas eſto. Status Imperii contra „ immedietatem, privilegia de non appellando, evocando- „ que, atque exemtionem à Judicio Rothweilenſi nullo mo- „ do lædantur. *** In cauſis civilibus ad Nuncios Apoſto- „ licos, **** Curiamve Romanam deinceps non appelletur. „ Monopolia non concedantur. Conceſſa vectigalia, cum „ Electorum conſenſu necdum opus eſſet, maneant; Ac- „ ciſæ vero recenter introductæ penitus ſublatæ ſint. In „ feudis apertis ſine Electorum conſenſu nemini exſpecta- „ tivæ concedantur. Status ad editionem pactorum fami- „ liæ absque neceſſitate non adſtringantur; ſed prona iis „ etiam contra Domum Auſtriacam juſtitia fiat. Cauſæ in „ Camera Imp. pendentes inde non avocentur, neque, ubi „ cauſæ cognitio requiritur, Cæſaris conſilium ſecretum ſe „ ingerat. ***** Nullus Princeps, Comes aut Baro prius „ ad votum & ſeſſionem in Comitiis admittatur, quam præ- „ ter Electorum illud etiam collegium ſeu ſcamnum, ubi „ recipiendus eſt, audiatur. &c. ******

(*a*) Vi ART. *VIII. §. 3. I. P.* A. 1652. Auguſtæ Vindelicorum comitia habita ſunt. Omnium primo Imperator id egit, ut filius eo vivente Rex eligeretur, atque Electoribus multum blanditus eſt: Principes vero Zeloſi admodum monita quædam ad Capitulationem dederunt. PFANNER *Hiſt. comitiorum L. II.* Conf. CAPIT. *Ferd. IV.* ART. *II. & IV.* Quo facto congreſſus comitiales cœperunt, ac de civitatum imperialium voto deciſivo, ordinariis deputationibus, aliisque ART. *VIII. I. P.* ad comitia remiſſis tractatum eſt. Præcipue Conſilio aulico ordinatio præſcripta, agnitumque pro imperiali judicio: multa quoque, quæ ad juſtitiæ adminiſtrationem ſpectant, egregie ſtatuta ſunt. MEYER *acta publ. Ratisb.* Vid. REC. IMP. NOV. in der neueſten Samml. der Reichs-Abſch. *P. III. p. 641.*

* Caute hæc clauſula à Proteſtantibus adjecta, ne facultas ei eſſet, Advocatia in præjudicium eorum utendi, ſed ſimilem iis tutelam præſtaret. ** Hoc

** Hoc ſuaſu Electoris Trevirenſis Capitulationi inſertum, eo-quod Duces *Luxemburgenſes* jus protectionis in civitatem Trevirenſem prætenderent: ex quo A. 1632. Galliam inter & Hiſpaniam ad arma ventum. Hæc patrocinia ſi perpetua ſint, unius renunciatione tolli haud poſſunt: ideoque Wezlaria, quod Landgraviorum Haſſiæ protectionem excutere tentaret, ſub initium prioris ſeculi armis compreſſa eſt.

*** Aliquoties de abrogatione hujus judicii, ceu plane ſuperflui, deliberatum: ſed res exitum ſortita non eſt.

**** Notæ ſunt controverſiæ cum Nuncio Colonienſi, qui vario obtentu in jurisdictionem Imperii involavit, Camera Imperiali banno, illo cenſuris fulminante. Hodie ultro civilibus cauſis abſtinet.

***** Cauſæ graviores, in Judicio aulico ad ſententiam uſque agitatæ, ad Cæſarem una cum voto, ob conſiderationes politicas, referri conſueverant. Imperator eas accurate expendit, atque ex ratione ſtatus definiit: an ſententia executioni mandari, aut differri in commodius tempus debeat. Sed in Conſilio ſecretiori non tam juris, quam utilitatis ratio haberi ſolet. Num vero diſpoſitio hæc ſancte ſemper obſervetur? altioris momenti quæſtio eſt. HENNIGES *ad Capit. Joſephi. p. 258. lit. B.*

****** Imperatores occultis hoc agere conſiliis credebantur, ut novis Principibus, ſibi obnoxiis, reliquorum ſuffragia, ſi non ſuperarent, æquarent certe.

§. XXXIII.

Poſt mortem FERDINANDI III. * vehemens Bavarum inter & Palatinum **, de Vicariatu enata eſt con-
1658. troverſia, ac Galliæ Regis conatibus *** cum LEOPOLDO dura admodum Capitulatio inita: quin clauſula legis commiſſoriæ addi debebat, ſed reſpuit Imperator. Monita denuo à Principibus exhibita & Capitulationem perpetuam etiam atque etiam urgebant, resque ad Prologum, atque Epilogum uſque confecta eſt: **** his legibus Impe-

Imperator evaſit: „ Nemo ſine conſenſu ſtatuum à voto & „ ſeſſione ſuſpendatur. Statibus liberum eſto, de negotiis „ deliberandi ergo *circulariter & collegialiter* convenire; uti „ & contra rebelles ſubditos vi & armis ſe tueri, atque ab „ aliis auxilium petere. Status hoſpitationibus non graven- „ tur: (*a*) fœdera damno Reipublicæ non ineant, atque in „ extera ſervitia concedere nemini prohibitum ſit. (*b*) Ipſa „ CÆS. MAJ. ditionum ſuarum intuitu, fœdus non ineat, „ niſi ſalvo jure Imperii: bello adverſus Galliam neque ut „ Imperator, nec ut Auſtriæ Dux ſe ingerat: hoſtibus ejus „ ſuppetias non ferat, aut tranſitum permittat: modo ne „ Galliæ Rex Imperii hoſtibus auxilium præſtet. Regi „ Galliæ integrum eſto, Germaniæ ordinibus armis aſſiſte- „ re, ſi vis eis fiat. (*c*) Electoribus liberum eſto, ſi è re „ videatur, Regem Romanorum eligere. Tranſactio Mo- „ guntinum inter & Colonienſem de coronandi jure rata „ ſit. (*d*) Abuſus judicii Rothweilenſis tollantur, atque ab „ illo ad ſuprema Imperii judicia appelletur. In cauſis ſe- „ quelæ, collectarum aliorumque regalium ad nudam in- „ ſtantiam ſubditorum mandata *C.* vel *S. C.* absque prævia „ informatione non decernantur; ſecus iis non parere fas „ eſto. Subditi, excluſo domino territoriali, de Caſſa pro- „ vinciali non diſponant, neque cum exteris aut aliis ſtati- „ bus illicite confœderentur, (*e*) nec ſine præſcitu Princi- „ pis conventus agitent. Imperator in ſtatuum territoriis „ non exſtruat fortalitia, neque exteris contra *I. P.* tranſi- „ tum permittat. Nemo à vectigalibus eximatur, nimia „ illico tollantur, nova vero largiri fas non ſit, niſi unanimi „ & *collegiali* Electorum conſenſu. Exſpectativæ ac litteræ „ inveſtituræ, in Cancellaria Imperii non factæ, ſint nullæ. „ Protectio Germaniæ non niſi Germano detur. (*f*) Præ- „ ſides judicii aulici ſint teutonici, ac ejusdem Conſiliarii à

„ teloniis æque exemti, ac *C. I.* Aſſeſſores: ſalarium iis rite „ ſolvatur. Ordinatio judicii aulici probe obſervetur, nec „ impediat Imperator, quo minus Elector Moguntinus ejus „ reviſionem inſtituat. Abuſus Bullæ Brabantinæ tollan- „ tur. (*g*) Nemo, præjudicio antiquæ Domus, titulis ar- „ misque inſigniatur, neque conceſſæ dignitates ſtatuum juri „ territoriali damno ſint. (*h*) Jura Cancellariæ nulli re- „ mittantur, ac diplomata intra tres menſes non ſoluta, ſint „ nulla. „ (*i*) Cæterum eo regnante Imperium perpetuis fere bellis attritum, ac Miles perpetuus ortus eſt. ***** Comitia vero ejus auſpiciis A. 1662. cœpta in hunc uſque diem durant. ******

* Ferdinandus IV. ante parentem mortem oppetiit, nec Imperator evaſit.

** A. 1745. placuit alternatio. Vid. tamen CAP. NOV. ART. *III. §. 18. 19.* Conf. SCMAUSSII *Corp. jur. publ. in app. p.* 70.

*** Gallia ad eam, qua hodie pollet, potentiam emergere, ac Monarchiam ambire; Domum vero Auſtriacam, unicum ambitionis ſuæ obicem, perpetuis bellis comprimere, nec non undique inimicos excitare cœpit, impenſa nonnunquam immenſa auri copiarumque vi.

**** CAP. NOV. ART. *XXX. §. 2.* SCHMAUSSII *Corp. jur. publ. acad. p. 1172.*

(*a*) Multo minus Imperator ſibi jus aperturæ in ditionibus ſtatuum vindicare, & locis munitis præſidiarium militem immittere poterit.

(*b*) Satius fortaſſis foret, in proprios uſus conſumere homines pacis impatientes, quam pati, ut per omnem pene Europam venalem ſanguinem circumferant. Interim ab antiquo libertatis ſpecies putabatur, exterorum militiam ſequi, vitamque pro alienæ civitatis ſecuritate profundere. *R. I. 1570. §. 4. 5.*

(*c*) Facile patet, hæc Galliæ Regis conatibus Capitulationi inſerta eſſe, ne Imperator bello Hiſpanico ſe immiſcere poſſet.

Quod

Quod vero ſtatibus Imperii pro lubitu aſſiſtere poſſit, multi haud vane turbas, Germaniæque exitium inde augurantur.

(*d*) Colonienſi in *A. B. C. IV.* jus coronandi ideo aſſertum, quia Aquisgranum, coronationis locus, ejus diœceſi ſubjacet: aſt cum Moguntinus, illo ordinibus pallioque adhuc carente, Maximiliani II. coronationem perageret, idque ad Ferdinandum IV. uſque frequentaretur, res tandem in lites deſiit: donec Electorum mediatione A. 1657. ita tranſactum ſit, ut in ſua quilibet diœceſi, extra utramque vero alternis vicibus coronationem obirent. Exſtat apud HONTHEMIUM *in Hiſt. dipl. Trev. T. II. p. 95.* documentum, ex quo videre eſt, BALDUINUM Trevirenſem, ac PETRUM Moguntinum de hoc coronandi jure, abſente Colonienſi, A. 1315. acriter contendiſſe. NELLERUS in illud commentatus eſt *Diſſ. de jure ſuccedaneo coronandi Archi-Epiſc. Trevirenſi competente.*

(*e*) Exterorum Patrocinia Imperio ſane plurimum nocent, ejusque auctoritatem imminuunt, motibus ac diſſidiis anſam præbent, faciuntque, ut ditiones ab eo plane avellantur, atque ab exteris *ſine onere* eximantur.

(*f*) Solent Principes catholici in Aula Romana Protectores habere è numero Cardinalium, qui negotia eorum curant. Germaniæ Protectoris præcipua cura eſſe debet, ut Concordata nationis Germanicæ probe obſerventur.

(*g*) Vi hujus privilegii, Brabantiæ Duci à Carolo IV. conceſſi, Brabantini exteros, etiam ubi actor forum rei ſequi tenetur, ad ſua judicia evocant, ipſi vero Domum revocandi jus prætendunt, vicinosque ingentibus repreſſaliis divexant. Graviter de his exceſſibus conqueſti ſunt Imperii ordines, eosque hodiedum gliſcere audio.

(*h*) In diplomatibus largius quandoque ſe enunciat Imperator, quod à recepto Curiæ ſtylo non facile recedatur: eosque, quibus nobilitatem confert, variis privilegiis mactat: id vero ſalvis ubique ſtatuum juribus, ac ſuperioritate territoriali capiendum.

(i) Fieri solet, ut, qui dignitates impetrant, titulo contenti, diploma haud solvant, aut longius differant saltem.

***** Egregia hæc ordinatio, Germaniaque hostibus depellendis semper par erit, modo ne discordia vires frangat.

****** Consilio fortassis HIPPOLITI A LAPIDE *de ratione status P. III. C. V. n. 3. p. m. 575.* Quæ hucusque emanarunt Imperii conclusa, in unum Receſſum nedum collecta sunt, & prostant in der neuesten Samml. der Reichs-Absch. *P. IV.*

§. XXXIV.

Imperator belli tempus maxime opportunum ratus,
1690. JOSEPHUM Electoribus in Regem Romanorum commendavit: isque unanimi eorum consensu electus coronatusque est; sed minorennis adhuc spondere debuit, se ante
1705. annum XVIII. regimen non susceperturum, mansurumque in Vicariorum tutela. Hisce præterea pactis illigatus: „Pax „ Monasterienſis, intuitu Galliæ Regis, ob fidem ruptam „ irrita esto. * Fiscus in confiscandis libris nulli partium „ sit addictior. ** Electorum prærogativæ, jusque pri„ mogenituræ conserventur. Sine concursu, statuumque „ consensu nulla pax ineatur, cureturque, ut omnia in pri„ stinum & legibus Imperii conformem statum reducantur. „ Fœdus non ineat Imperator, nisi omnium statuum, aut „ si res moram non ferat, Electorum *collegialis* consensus „ accedat: statibus pro sua conservatione ac securitate fœ„ dera inter se & cum exteris sancire liberum esto, modo „ non sint contra Imperium, fiantque salvo per omnia ju„ ramento, quo quisque Imperatori obstrictus est. *** In „ decernendis commissionibus Cæsareis dispositio *I. P.* ART. *V.* „ *§. 51.* observetur. Militum conscriptiones damno Impe„ rii non sint, ac hostibus servientium bona confiscentur. „ Causæ seculares ab Ecclesiasticis rite separentur, & desu-

„ per

„ per cum Sede Romana amice tractetur: Episcopi, si lis „ ipsis cum Clero subditisque, absque prævia informatio- „ ne, monitoriis ac declarationibus censurarum non gra- „ ventur. Quodsi flumen navigabile fieri possit, non im- „ pediatur novo opere cujusdam status. **** Commer- „ cia vigeant, floreantque. ***** Ordinationes moneta- „ les strictim observentur, & privatæ officinæ (Hecke- „ Münzen) tollantur. Postarum Officiales sint teutonici, „ nec nisi ab oneribus personalibus liberi. Minores sta- „ tus, paribus titulis armisque, majoribus non æquipa- „ rentur. ****** (a)

* Id procul dubio ea solum tempora respiciebat.

** Occasionem hujus recenset HENNIGES *ad Capit. Josephi p. 57. Lit. F.*

*** Add. *I. P.* ART. *VIII.* §. 2. Major itaque est potestas statuum circa fœdera, quam ipsius Imperatoris. Interim hanc regulam notes velim: ut, quoties in negotiis magni momenti omnium statuum, aut Electorum saltem consensu opus, horum unanimis esse debeat.

**** Quo casu Imperii Ordines, sumptus compensandi ergo, non obstante prohibitione Capitulationis, novum vectigal imponere posse, autumat STRYCK *de jure cataractarum C. IV. §. 15.* Quod ego asserere non ausim.

***** Sed ne florere possint, minus proba moneta, auri argentique, ob nimium luxum, raritas, justo copiosior peregrinarum mercium usus, crudarum (roher Waaren) exportatio, ac tandem immensa vectigalia impedimento sunt.

****** Cum Ferdinandus II. Comiti Schaumburgico Holsatiæ Principis titulum tribuisset, Christianus IV. Daniæ Rex eundem, ut hoc titulo se exueret, armis coëgit. Eandem ob causam Leopoldus Sabaudiæ Duci Regiæ Celsitudinis titulum concedere noluit, ne in eo prærogativam aliquam agnoscere videretur.

(*a*) De nono Electoratu ac litibus inde enatis vid. LÜNIG R. A. *T. V. p. 697. 357. 360. 366.* **Staats-Canzl.** *T. V.* Octavus in Inst. pacis ART. *IV. §. 3.* jam institutus est. De dissidiis Cameræ Imperialis, Visitatione, ac Recessu ejusdem vid. **Staats-Canzl.** *T. IX. p. 242. T. XI. p. 170. 209. T. XV. p. 186. T. XVII. p. 564.* **neueste Samml. der Reichs-Absch.** *P. IV. p. 261. seqq.* De reintroductione Regis Bohemiæ conf. PFEFFING. *T. I. p. 1096.* & ANONYMI *Tract. de sess. & suffrag. elect. ratione regni Bohem. etiamnum competente.*

§. XXXV.

1711. CAROLUS VI. ad normam Capitulationis perpetuæ, (*a*) defuncto fratre suo, Cæsar exstitit, Rege Galliæ nihil reluctante. (*b*) Recenter addita his potissimum capitibus continentur: „ Aurea Bulla ad nonum quoque „ Electoratum extendatur; atque Electoribus tituli: **Hochwürdigst und Durchlauchtigst**, eorumque legatis primi „ ordinis, licet plures sint, regii honores competant. (*c*) „ Comites immediati exteros præcedant. Bellum fœdusve „ absque Electorum unanimi consensu non fiat, neque aliter vectigalia concedantur. (*d*) Jure monetandi abutentes excidant voto & sessione in comitiis. * Nemo nimiis „ tributis oneretur. Pactis familiæ per investituras nihil „ decedat. Si Electoratum, Principatum, Civitatemve „ Imperio vacare contigerit, absque statuum consensu nemini concedantur. ** Placita statuum (**Reichs-Gutachten**) mox sequatur resolutio Cæsarea; neque gravaminum dictatura impediatur. *** Tempore litispendentiæ via facti ac repressaliæ non sint permissæ: neque „ judicium aulicum de judicatis Cameræ ullo modo cognoscat. **** Agnati innocentes, ob feloniam vasalli, „ feudis allodiisque non priventur. ***** Querelæ statuum, quorum juri territoriali concessionibus dignitatum „ præ-

„ præjudicium illatum, audiantur. Negotium Capitula-
„ tionis perpetuæ ad finem deducatur, jure adcapitulandi
„ Electoribus relicto.

(*a*) Nondum lex publica evàsit, nec intereſt forte, quia nova quotidie emergunt, quæ neo-electis præſcribi oportet: alia mutatis circumſtantiis omittenda veniunt. Sed rem denuo in motu eſſe, ex Relationibus audio.

(*b*) Quam primum enim Imperator electus, atque Auſtriacas ditiones conſecutus eſt, timebant ſibi omnes à potentia ejus, ſi Hiſpania quoque ipſi obveniret: hinc, ex juſta æquilibrii ratione, PHILIPPUS V. nepos regis Galliæ ibi rerum potitus eſt.

(*c*) Vid. §. *XXXI. not.* ** (*d*) §. *XXXIV. not.* ***

* Si pœna hæc executioni daretur, Comitia, puto, ceſſarent.

** MONZAMB. *de ſtatu Imp. Germ. C. V. §. 5.* Capitulationi hæc ideo inſerta eſſe putat: ne Cæſari integrum ſit, novos Principes feudis vacantibus beare, aut ſuam Domum locupletiorem reddere.

*** Notæ ſunt querelæ, maxime Proteſtantium, contra Directorium Moguntinum, Aulamque Imperialem.

**** Judicium aulicum Jurisdictionis ſuæ terminos migravit quandoque.

***** Contra diſpoſitionem Juris Feud. Longob. *II. Feud. 31. & 37.* ſed vid. Jus Feud. Alem. *cap. 89. §. 7.*

****** Comites Palatini ut plurimum nauci homines vili pretio Notarios creant, qui immenſis deinde litibus Rempublicam implent: hinc in quibusdam Provinciis egregie ſtatutum, ut non niſi prævio examine, ac certo numero, à Regimine recipiantur.

§. XXXVI.

Qua ratione CAROLUS VII. eoque brevi extincto FRANCISCUS I. ad Imperiale faſtigium evecti, & cruentæ de ſucceſſione Auſtriaca (*a*) lites pace *Aquisgranenſi* 1742. 1745. 1748.

nenſi tandem ſopitæ ſint, nemini, puto, incognitum erit. Varia eorum Capitulationibus, tempore ſic exigente, addita invenio: quæ ſequuntur, ad ſtatum publicum maxime faciunt: „ Nullus adminiſtratione territorii neque proviſorie, neque in contumaciam exuatur. * Votum ſeſſioque de linea ad lineam absque ſtatuum aſſenſu non „ transferantur; atque in neo-receptos, numque ſe rite „ qualificaverint? inquiratur. ** Statuum gravamina „ contra Conſtitutiones Imperii tollantur, læſisque manu „ forti ſuppetiæ ferantur: neque in cauſis religionis diſceptatio judicialis locum habeat. Vicarii abſente vel impedito Imperatore Imperium adminiſtrent, jus dicant, „ atque ad normam legum iis comitia habere permiſſum „ ſit. *** Elector Brunſwicenſis de Archi-Officio provideatur. Officiales belli in paritate religionis ſumantur: „ ii vero de commeatu, victu atque fortalitiis pro lubitu „ non diſponant, neque à CÆS. MAJ. privatim inſtruantur; „ ſed ubi periculum in mora non adeſt, quidquid in comitiis fiat. (*b*) Copiæ Imperiales defenſioni Reipublicæ ſint; „ ſtatus vero hoſpitationibus non graventur, nec locus judicii Cameralis; ſed propriis ſumptibus vivant, deſuperque caveatur. Tractatus pacemque, excluſis ſtatibus, „ extra moræ periculum inire, fas non ſit; eorumque deputatis una cum Imperatoris legatis exterisque ad quoslibet congreſſus aditus pateat. Nullus omnino ab oneribus publicis eximatur. Redintegratio circulorum ac „ matriculæ peræquatio curæ ſint. Inſolita privilegia non „ concedantur: de nova ordinatione monetali provideatur. **** Abuſus vectigalium Circulorum Directores „ ad Imperatorem referant. Pignora Imperii non reluantur. Fines Germaniæ ſine ſtatuum concurſu non regantur. „ Ordinariæ deputationes in uſum reducantur. Statuum

„ foro

„ foro competenti in cauſis feudalibus, neque ſub prætextu „ continentiæ cauſarum, neque judicii univerſalis, unquam „ præjudicetur. (*c*) In commiſſionibus Cæſareis, ſi cauſa „ diverſæ religioni addictos concernat, exacta paritas ſerve- „ tur. Judicia Imperii provincialia tollantur. Status in „ deliberationibus ordini propoſitionis Cæſareæ non ſint illi- „ gati: (*d*) deſideria eorum intra tres menſes, aut ſi res „ moram non ferat, citius proponantur, neque Directoriis „ quidquam præjudicetur. Judicia Imperii impartialem „ juſtitiam impertiantur, nec duriori præprimis contra Ele- „ ctores ſtylo utantur: rebus circulorum ſe haud ingerant: „ neque iis facultas leges interpretandi competat. Camera „ Imperialis promotorialibus, reſcriptis ac inhibitionibus „ in adminiſtratione juſtitiæ non impediatur, nec, ſi præ- „ venta ſit, Judicium aulicum de punctis incidentibus cog- „ noſcat. Reviſionis ac Supplicationis remedia pro odioſis „ non habeantur. Summorum Imperii tribunalium revi- „ ſio properetur. ***** Ex diſparagio nati non legiti- „ mentur ad effectum ſuccedendi, ſique hoc factum forte, „ ſit nullum. ******

(*a*) Acta publica proſtant ſparſim in KOENIGII *Select. jur. publ.* & FABRI **Staats-Canzley.**

* Carolus VI. Ducem Megapolitanum, & Principem Siegenſem proviſorie ditionibus exuit.

** Cum Imperatori non æque facile ſit, territoria creare, quam titulos largiri, novi Principes maximam partem terris immediatis carent, nec collectari poſſunt, voto tamen & ſeſſione in comitiis gaudent.

*** Sunt, qui comitiorum jus Majeſtati ita inhærere putant, ut Vicariis competere nequeat: certe potentiores ſtatus iis ægre ſuberunt.

(*b*) Vid. MOSERI *Annotat. ad Capit. Caroli VII.* ART. *IV.* §. *4. p. 180.*

**** Immanes in re monetaria abusus celere remedium urgent. Conf. **Mosers Staats-Arch.** *P. I. p. 147. P. III. p. 35.*

(*c*) Vid. Deductio in causa **Darmstadt** contra **Breidenbach** apud MOSERUM *l. c. P. VII. seqq.*

(*d*) Quid huic dispositioni ansam dederit? erudite tradit HIPPOLIT. A LAPIDE *P. II. C. III. Sect. III.*

***** Conf. CAP. NOV. ART. *XVII.* §. 3. ART. *XXIV.* §. 4. *seqq.* Quanti interfit, ut Visitationes in usum reducantur, graviter inculcat PÜTTERUS **vom Verfall des** *Justiz*-**Wesens** §. *132. seqq.* **Ein Hauptgrund des Verderbens beym Cammer-Gericht bestehet in dem Abgang der** *Visitationen*: **Die Mängel des Gerichts und Processes können nicht eingesehen, und verbessert werden: Die** *Revisionen* **sind ohne Ausgang: Das allerbedencklichste aber ist, daß in Ermangelung der** *Visitationen* **das C. G. den Misbräuchen und üblen Folgen des** *Recurses* **an den Reichs-Tag am meisten ausgesezt ist, und fast kein Urthel,** *Decret*, **oder** *Mandat* **gegen einen Reichs-Stand heraus komt, da nicht so fort ohne Unterschied der** *Recurs* **an den Reichs-Tag genommen, das C. G. meist übel angezäpfet, und die Vollziehung der gerechtesten Sprüche vereitelt würde.**

****** Occasionem hanc clausulam inserendi inde arripuerunt Electores, quod Carolus VI. liberos ex Duce *Meimungensi*, & *Cæsarina*, inæquali matrimonio, natos ad Ducalem dignitatem, cum spe succedendi, evexit. Conf. NEUMANNI *Jus Princip. privatum. T. II. Tit. 27. §. 355.*

Ex his patet, nihil, quo regiminis forma immutata sit, in Capitulationibus contineri, sed limitari saltem Imperatoris potestatem: quid quod multa juris privati capita, aut quæ ad justitiæ administrationem pertinent, iis complecti.

SECTIO III.

Sectio III.
DE HODIERNA IMPERII ROMANO-GERMANICI FORMA.

§. I.

GERMANIA, velut ingens societas, corpusve politicum, capite ac membris satis eleganter inter se cohæret. * Majestas summa & independens penes IMPERATOREM est; ** status vero concives ac subditi *** sunt: nexusque eos inter SACRUM ROMANUM IMPERIUM efformat.

* **Haupt und Glieder des Heil. Röm. Reichs.**

** Omnes mundi Rectores eminet, CAPUT ORBIS CHRISTIANI, & SACRA CÆSAREA MAJESTAS salutatur: titulusque SERENISSIMI, POTENTISSIMI ac INVICTISSIMI ei tribuitur. **Das allerhöchste Oberhaupt und Regent des gesamten Reichs** in Recessibus Imperii audit. Cavendum quidem, ne externa titulorum specie nimis decipiamur: pro inani tamen vestigio ac simulacro antiqui imperii hæc omnia habenda esse, quæ HIPPOLITI A LAPIDE opinio, mihi persuadere non possum. Qui enim ob EXCELLENTIÆ, legatis tribuendæ, titulum vix non armis collisi, ac jurium suorum nunquam non tenacissimi sunt Imperii Ordines, de Imperatoris Majestate ut magnificentius, quam res ipsa requirit, adulandi animo sentiant, haud credendum.

*** Eminentioris certe conditionis. Omnes vasallagium: **dem Kayser und Reich getreu, hold, gehorsam und gewärtig zu seyn, und sonsten alles zu thun, was einem gehorsamen Fürsten und getreuen Lehn-Mann zu thun gebühret.** LÜNIG *Corp. jur. feud. germ. T. I. p. 95.* Civitates vero Imperiales homagium præstant, **als ihrem allerhöchsten, rechten und natürlichen Herrn**: Majestatemque Imperatoris summo, quo par est, respectu colunt: **mit allerunterthänigstem** *Respect.* FABRI **Staats-Canzley** *T. XXXIII. p. 561. 575.*

§. II.

Licet vero penes CÆSAREAM MAJESTATEM rei ſumma, omnesque imperii partes * conſiſtant; legibus tamen Imperii & Capitulatione imprimis, earundem exercitium maxime limitatum eſt: ** plurimæ *comitiales*, quædam Cæſari *reſervatæ* ſunt, iisdemque ex plenitudine poteſtatis (aus Kayſerlicher Macht-Vollkommenheit) utitur.

* Naturaliter itæ connexæ ſunt, ut penes eum, cui regimen commiſſum, omnes & ſingulæ neceſſario eſſe debeant, viamque quaſi monſtrent, ad recte dijudicandum, cui jus ſummæ poteſtatis in gente quaque competat. PUFEND. *de Offic. Hom. & Civ. L. II. C. VIII. §. 9.*

** Id vero Majeſtati Imperantis nihil detrahit. Sic jus venandi alicui optimo jure competere poteſt; ejus tamen exercitium multis modis limitari. Conf. *Sect. I. §. VII. Sect. II. §. XXV. not.* * Quodſi igitur Regis poteſtas abſoluta non eſt, ſed pactis circumſcripta, *limitata* profecto *Monarchia* erit. Idque per partium, ut ajunt, enumerationem ſequentes §. §. demonſtrabunt.

§. III.

Cum nulla civitas absque religione, ac metu Numinis cujusdam ſubſiſtere poſſit, * Imperanti *jus circa ſacra*, ** ſeu cura religionis eſſe debet. *** Imperator primo ſtatim Capitulationis articulo Chriſtianæ Eccleſiæ tutelam pollicetur, **** ejusque ſummopere intereſt, ne forte è religionis diſſidio ſtatus publicus detrimentum capiat. ***** Cæterum Germaniæ tranquillitas in ſanctiſſima Pacis Weſtphalicæ obſervantia unice ſita eſt. ******

* Qui in libertate naturali degunt, ea divini cultus officia ſequuntur, quæ ſua cuilibet ratio probat. Aſt poſtquam Civitates ortæ ſunt, Religio præcipuum earum vinculum eſſe cœpit: nulla enim tam barbara Gens, quæ non Deos confingeret ſaltem, ut leges à metu eorum ſanctimoniam haberent;

berent; quòque ad imperium ſtabiliendum aptior, eo gratior Religio fuit. Hinc Chriſtiana Fides, quam primum cognita ſatis erat, adeo accepta Regibus fuit: quod ejusdem ſectatores mortem ſubirent potius, quam regiæ poteſtati reſiſterent.

** De jure ſacrorum vix certi aliquid ſtatuere licet: placet vero NELLERI opinio *Diſſ. de Jure Diœceſ. S. R. I. Statuum Proteſtantium §. X.* qui ea, quæ inventionis pure naturalis & humanæ ſunt, partem Majeſtatis eſſe largitur, non quæ divinitus inſtituta, & ſupra omnem humanam naturam poſita ſunt. Hodie regionum Domini paſſim Epiſcopos, imo Papas, ſe vocitant, in locis, ubi priſtina Epiſcoporum jurisdictio ſuſpenſa eſt. BOEHMER *Jur. eccl. Proteſt. T. I. p. 721.* Sed melior mihi ſemper viſa eſt eorum ſententia, qui à vocibus *juris Epiſcopalis*, & *jurisdictionis eccleſiaſticæ* penitus abſtinent, omneque, quod Principibus circa Religionem competit jus, Majeſtati & civili imperio tribuunt. HENNIGES *ad I. P.* ART. *V. §. 48. Lit. I. in fine.*

*** Religio enim licet per ſe ad conciliandam Dei gratiam valeat, habet tamen & ſuos in ſocietate humana effectus maximos; omnisque de rebus divinis falſa perſuaſio, accedente morum licentia, non poteſt non Reipublicæ eſſe perniciosiſſima. Inferiores vero hæ, quas habitamus mundi partes, nunquam incoluntur voluptuoſius, quam ſi regnum & Eccleſia amœno inter ſe nexu ſociantur. GROTIUS *de J. B. & P. L. II. C. XX. §. 44.* Sitne vero Eccleſia regnum aliquod ſacrorum, ac velut ſtatus in ſtatu? aut inſigne potius in Republica collegium, eaque inferius? erudite exponit *Leop.* HAAS *de Idea veræ Eccleſiæ.* Add. HAMMERI *Concent. fori interni cum foro externo. Trev. 1749.* Muſæ enim Trevirenſes ab aliquo jam tempore elegantes partus edunt.

**** Sed conf. CAP. NOV. ART. *I. §. 10.* Imperantis eſt, ut ſubditos, etiam contra judices eccleſiaſticos, ſi vim inferant, protegat. ESPEN *Tract. de Recurſu ad Principem.*

***** Cum enim unam in religione ſententiam tenere datum non ſit, illud ſaltem optare liceat, ut, etiamſi in ſacris di-

versa sequamur, ad decus tamen Imperii, & populorum felicitatem, unanimes consilia & opes conferamus. MASCOV. *Princip. jur. publ. L. V. C. I. §. 27.*

****** Si quid contra *I. P.* ab ullo fiat, *gravamen religionis* enascitur, quæ vox, quod dolendum, hodie comitialis effecta est. Conf. *Ge. Lud.* BOEHMER *Diss. de Gravam. comm. S. R. I. Statuum.* Saluberrima ART. *XVII. §. 5. 6.* dispositio: *Teneantur omnes hujus transactionis consortes universas & singulas hujus pacis leges contra quemcunque sine religionis distinctione tueri & protegere, & si quid eorum à quocunque violari contigerit, læsus lædentem, imprimis quidem à via facti dehortetur, causa ipsa vel amicabili compositioni, vel juris disceptationi submissa. Veruntamen si neutro horum modorum intra spatium trium annorum terminetur controversia, teneantur omnes & singuli hujus transactionis consortes, junctis cum parte læsa consiliis viribusque arma sumere ad repellendam injuriam, à passo moniti, quoâ nec amicitiæ, nec juris via locum invenerit.* Sed faxit Deus, ne belli ansam aliquando præbeat. Distinctius de his omnibus singulari Tractatu de STATU RELIGIONIS IN GERMANIA agam.

§. IV.

Potestas legislatoria, qua norma agendi subditis præscribitur, summum sane jus majestaticum est, atque Imperatori in Imperio competit; * sed statuum consilio consensuque opus est. ** Ipse legibus se alligatum profitetur, pactoque insuper mutua earum observantia sponderi solet. *** In causis tamen religionis id singulare est, nihil per modum legis, sed amicabilem tantum compositionem fieri. ****

* *I. P.* ART. *XVI. §. 2. Imperator per totum Imperium edicta promulget.* Omnes leges ejus nomine emanare, ex verbis initialibus Recessuum patet. Quin ipsa Capitulatio prius, quam auctoritate Cæsarea publicata, lex publica ac fundamentalis non evadit. Conf. Reversales FRANCISCI I. in

der

der neueſten Samml. der Reichs-Abſch. im Anh. *p. 34.* **Bevor Wir die Regierung des Reichs würcklich angetretten, haben wir alle** *Puncten* **und** *Articulen* **bedungen, bewilliget, und eidlich angenommen, auch in unſerem Nahmen und Siegel ausgangen, und Ihnen übergeben ſeynd, aus freyem gnädigen Willen jezo von neuem bewilliget, und angenommen, auch ſonſten alles zu thun, was uns als Röm. König gebühret.** Igitur ſe, ut Regem decet, regnaturum promittit; & in ipſa Capitulatione non niſi officii ſui admonetur.

** *I. P.* ART. *VIII.* §. 2. Ipſi vero non ſunt *cauſa ſocia* legum, ſed *conditio* ſaltem, *ſine qua non*; nec propterea Coimperantes dici queunt: non ſecus ac ſtatus provinciales, quod in legibus ferendis eorum ſuffragio opus ſit, de ſuperioritate territoriali nihil participant. Quod argumentum tam diu adverſarios ferit, dum ſolida detur diſparitas. Vid. **Schmaußens Anhang zu ſeinem** *Comp. jur. publ. p. 4.* Status *S. R. I.* non eſſe Coimperantes, proxime ſpeciali Diſſertatione oſtendam.

*** CAP. NOV. ART. *II.* §. 3. 4. 5. REC. IMP. *1555.* §. *143. 144. R. I. N.* §. *197. 199.* Receſſus tamen Imperii non pacti, ſed legis inſtar obligant: fruſtra diſſentiente THOMASIO *Diſſ. de ſtatuum Imp. poteſt. legisl. contra jus comm.* In comitiis enim votorum pluralitas obtinet, imo abſentes invitosque, quod reliquis placuit, obligat: id quod regulari pactorum naturæ obverſatur. TEXTOR *ad Rec. Imp. nov. Diſp. I.* §. 5.

**** *I. P.* ART. *V.* §. 52. Lex hæc in gratiam Proteſtantium ſcripta eſt, ne Catholicis integrum ſit, plurium ſuffragiis ſacra eorum evertendi. Quoties igitur Catholici omnes ex una, & Proteſtantes ex altera parte ſunt, ſive utrimque in duas partes abeunt, majoribus votis ſtandum non eſt. Quod & tum locum habet, etiamſi unus alterve Catholicorum, callido forte conſilio, Proteſtantibus ſe adjungat: ne in illorum poteſtate ſit, beneficium hoc eludendi, quosdam ex condicto ſubornando, qui in horum partes eant. Conf. omnino HENNIGES *ad* ART. *cit. p. 651. ſeqq.*

§. V.

§. V.

Quodsi controversiæ cives inter oriantur, *potestate judiciaria* opus est: Imperator vero supremus in Imperio judex, * omnisque jurisdictionis fons & origo. ** In duobus summis tribunalibus, AULICO & CAMERALI, Imperii civibus *** jus dicit, atque qui vice ipsius lites dirimant, Magistratus constituit: ibi quidem solus ac propriis sumptibus; **** hic vero Assessores à Statibus præsentantur, solvunturque ad normam usualis, ut vocant, Matriculæ. ***** Sententiarum vero executio Circulorum Directoribus demandari solet. ******

* CAP. NOV. ART. *XVI.* §. *1.* **Er soll im Röm. Reich Fried und Einigkeit pflanzen, Recht und Gerechtigkeit aufrichten und verfügen.** Add. *R. I. 1467.* **C. G. O.** *P. II. Tit.* 7. CAP. NOV. ART. *XVI.* §. *3. 4. 6.* Sunt, qui omnem jurisdictionem, tractu temporis, ad status delatam esse; Imperatori vero simulacra potius, quam vim ejusdem competere autumant: quo ipso *Jus Principum* (**Fürsten-Recht**) ut vocant, introducere, & sensim omnes privatas causas ad comitia trahere allaborant. LAMPADIUS *de Jurisd. Imp. Rom. C. XII. p. 31.* HIPPOL. A LAPIDE *P. I. C. X. Sect. II. p. 161.* Argumentum hoc pro dignitate excoluit CÆSARIN. FÜRSTENER. **von des Kayſers** *Jurisdiction:* ita ut, quod ei addam, non restet: liceat saltem querelas ejus de noxiis ejusmodi opinionibus hic adscribere: **Aus dergleichen Unternehmungen folget nichts anders als Zerrüttung, und bleibt endlich gar nichts festes übrig, worauf man seine Beurtheilung derer Staats-Sachen des teutschen Reichs gründen könnte.** Et alibi: **Dergleichen Ausführungen dienen zu nichts anders, als denen teutschen Fürsten den Unwillen gegen einen Kayser, der nicht alles, was er von Majestät-Rechten noch übrig hat,** *abandonniren* **will, in großem Maaß und tief einzuprägen, die Verwaltung der Gerechtigkeit langsam oder schwehr zu machen, und endlich die Verwirrung an allen Orten und Enden zur Meisterin zu setzen.** Jus Principum, si quod existit, nihil

nihil aliud est, quam facultas statibus concessa, ut in iis causis, ubi de vita & bonis Principum agitur, præsidere judiciis, seu scabinorum loco esse queant: id vero de Imperatoris potestate nihil delibat; sed, donec eosdem in communionem hujus juris assumtos esse probatum fuerit, jurisdictio ejus inconvulsa stabit. DATT *de Pace publ. L. IV. C. I. p. 718.* Add. *I. P.* ART. *V.* §. *55.*

** Statibus una cum territorio concedi solet jurisdictio. Vide heroicam Electoris Saxoniæ declarationem apud LONDORPIUM *T. I. C. I. p. 3. seqq.* **Ihre Churfürstl. Gnaden könnten der Kayserl. Majest. Ihr habende und herkommende** *Jurisdiction* **nicht** *disputiren* **lassen, sey** *fons Jurisdictionis*, **alle** *Exemtiones* **rühren daher. Wann Ihro Majest. nur in zwey oder drey** *Casibus reservatis* **zu** *judiciren* **hätte, was es für ein Kayser wäre? Ein Kayser sey nicht** *titularis*, **der Ehren halber allein, sondern das Haupt im Reich, hätte dem Reich zu gebieten, und sie zu entscheiden.**

*** Conveniri possunt non tantum à paribus, sed & à sibi subjectis: tenentur vero, **derer höchsten Reichs-Gerichte Erkenntniße, Gebott und Verbott mit geziemendem** *Respect* **anzunehmen, und denenselben allen schuldigen Gehorsam zu leisten.** *R. I. N.* §. *165.* Cui si contraveniatur, Imperii tribunalia compescere norunt, uti in Camera Imperiali novissima exstant præjudicia. **Mosers Staats-Arch.** *P. I. p. 21. & 160.*

**** Ord. jud. aul. FERD. III. *pr. & Tit. I. I. P.* ART. *V.* §. *54.* Vid. tamen CAP. NOV. ART. *XXIV.* §. *3.*

***** Interim Cæsaris nomine atque auspiciis exeunt citationes & mandata. **C. G. O.** *1495.* §. *15. 23.* Statuum in his actibus nulla mentio, neque nisi *præsentandi* licentia iis concessa: terminus vero *constitutionis* de solo Imperatore prædicatur. *I. P.* ART. *V.* §. *53.* **C. G. O.** *1521. Tit. I. & IV.* §. *1.* Præsentatio jurisdictionem non tribuit, sed spem saltem confert, fore, ut aliquando in numerum Assessorum recipiantur. Hinc Imperiale Judicium (**Kayserl. Cammer-Gericht**) audit. Quodsi vero **des Kaysers und Reichs**

Cammer-Gericht quandoque appelletur, id non de Statibus, sed ipso Imperio, cujus Majestatem Imperator repræsentat, capiendum. Idem de juramento, quod à personis Cameralibus Imperatori & Imperio præstatur, judicium. Ad Visitationem mandato Cæsareo accedunt. *R. I. 1550 pr.* **Wir haben der Röm. Kayserl. Majestät zu unterthänigstem Gehorsam und Gefallen, auch des Heil. Röm. Reichs Ordnung nachzukommen, angeregte *Visitation* fürgenommen.** Add. C. G. O. *1555. P. III. Tit. 53. §. 9. R. I. N. §. 129.* Neque Assessores, ut venditari quandoque solet, ipsos status repræsentant. REC. VISIT. *1713. §. 22.* **Wann nun der *Præsentirte* zur Beysitzer-Stelle gelanget, soll derselbe unter dem unbegründeten Vorwand, als ob er seinen *Præsentanten* beym Gericht (welches überhoupt Ihre Kayserl. Majestät und das Reich allein *repræsentiret*) insonderheit *repræsentire*, keine Unruhe im Rath, noch sonsten anfangen. ꝛc.** Conf. omnino CÆSARIN. FÜRSTENER. **von des Kayserl. Cammer-Gerichts** *Jurisdiction. edit. 1748.* BOCKEN *notæ perp. ad* BLUMII *Proc. Cam. Tit. II. n. 6. Tit. XXV. n. 7. 13. 41. 42.*

****** *R. I. N. §. 160.* Executio cujuslibet Circuli Directoribus vi quasi perpetuæ Commissionis, aut mandati generalis competit: hinc vicinis Circulis non nisi ex prægnantibus causis committi potest. Num vero singulares Commissarii ad eam obeundam delegari possint? aliquoties disputatum. Scripta utrimque evulgata vid. apud MOSERUM **in der Einleit. zum R. H. R. Proceß.** *P. II. p. 345. seqq.*

§. VI.

Puniendi facultas è potestate legislatoria consequitur; frustra enim leges feruntur, si impune violari queant. Multa vero in Imperii Constitutionibus exstant coërcendi media, * quæ ut executioni darentur, expedire taliquoties. ** Ast, sine comitiali omnium consensu, statum Imperii proscribere, aut privare territorii administratione, Imperatori fas non est. ***

* Ini-

* Iniquæ vectigalium exactiones CAP. NOV. ART. *VIII. §. 9. 12. 13. 16.* Abusus rei monetariæ ART. *IX. §. 7. 8. 9. 10.* & REC. IMP. *1570. §. 137.* Nec non recursus ad Nuncios Apostolicos ART. *XIV. §. 4.* & *R. I. N. §. 160.* coërcentur. Instrumentum Pacis in sui ART. *XVII. §. 4.* pœnali sanctione munitum. Pœnæ contra violatores primarum instantiarum, Visitatores atque immorigeros in *R. I. N. §. 105. 129. 159.* statuuntur.

** Sed res fere in eum statum devenit, ut qui cogat, non sit: sæpe etiam turbæ metuuntur, si executio in potentiorem suscipienda.

*** CAP. NOV. ART. *I. §. 4.* & ART. *XX.* Ubi Imperatoris potestas adeo restricta est, ut hodie banno vix aut ne vix quidem locus esse possit.

§. VII.

Non pœnis modo, sed & *præmiis* ad legum custodiam, atque ut bene de Republica mereantur, alliciendi sunt cives: sed honoribus potius, quam pecunia eos mactari usus tulit. Imperatori, præter dignitates * & privilegia ** conferendi jus, quo egregia in Rempublicam merita remunerari queat, vix quidquam supereſt, eoque satis illimitate utitur. ***

* Omnis dignitatis fons est; statibus vero Imperii id juris indulget quandoque, ut nobilitatem ubique valituram conferre possint. Quod LICHTENSTEINIIS datum esse novi.

** Huc pertinent jus creandi Notarios, legitimandi, restituendi famam, & concedendi veniam ætatis: quæ Imperator plerumque Comitibus Palatinis largiri solet. Porro concessio privilegii nundinarum, & librorum imprimendorum; itemque dandi protectoria, quibus impetrans in Cæsaris ac Imperii peculiarem tutelam recipitur: Moratoria concedendi, confirmandi pacta & adoptiones, aliasque gratias conferendi jus. Præcipue vero privilegia de non

appellando evocandoque. Sed vid. CAP. NOV. ART. *XVIII.* §. 6. & 7. *R. I. N.* §. *116.* Conf. MASCOV *Princip. Jur. publ. L. V. C. IX.* §. *9. 10.*

*** Novos Electores creare absque Imperii consensu non potest. Conf. **Kayserl.** *Commissions-Decret de 1706.* in SCHMAUSSII *Corp. Jur. publ. acad. p. 1158.* Cæterum dignitates non nisi bene meritis se collaturum: nec prius, quam requisita Capitulationis ART. *I.* §. *5.* rite impleverint, ad votum & sessionem admittendos esse stipulatur. Conf. CAP. NOV. ART. *XXII.* §. *1. seqq.*

§. VIII.

Imperanti porro *belli fœderumque*, quo vim atque injuriam propulsare queat, uti & *pacis* ineundæ jus esse debet: sed si unquam, hic certe Cæsaris potestati limites præscribi oportebat, * ne facultas ei esset, jura libertatemque Statuum Imperii temerandi. **

* Sunt vero, qui nimis limitatam esse, bellisque Germaniam comprimi posse autumant prius, quam in comitiis vel minimum proponi, nedum milites conscribi, aut fœdera iniri queant.

** CAP. NOV. ART. *IV.* **Wo er aber des Reichs wegen angegriffen würde, mag er sich aller dem Reich unnachtheiligen Hülffe gebrauchen.** §. *5.* ART. *citat.* Solus itaque Imperator jus belli in Imperio habet: æquum tamen est, ut eorum, qui sumptus suppeditant, consilio & consensu suscipiatur: ejusmodi vero cum subditis deliberatio Majestatem Imperantis nil quidquam imminuit: quod de Angliæ Rege nemo inficias ibit. Subditos hostibus stipendia merentes avocat, bonorumque confiscatione plectit. Mandata avocatoria LEOPOLDI prostant **in der neuesten Samml. der Reichs-Absch.** *P. IV. p. 101. seqq.*

§. IX.

Tandem, quibus Imperium competit, habere debent, unde sumptum faciant belli pacisque tempore: hinc *tribu-*

tributis opus est. * Hæc ab Imperatore aliter, quam in comitiis exigi nequeunt: ** num vero in materia collectandi majora vota valeant? lege publica decisum non est. ***

* Qui Principes ex jure collectandi in subditos competente infra *Ordinationem* parvas monetas (**Scheide-Münzen**) cudere posse asserunt, iis turpe lucrum vindicant. REC. IMP. *1570. §. 132.* **Alsdann auch die Münz-Gerechtigkeit keine Mercanz, sondern ein Kayserl. *Regal*, so die Münz-Stände aus unserm sondern Vertrauen, nicht zu ihrem selbst gesuchten Vortheil, sondern wie Wir selbst, dem Heil. Röm. Reich zu Ehren und Wohlfahrt brauchen sollen.** Add. **Münz-Ord.** *1559. §. 175.* CAP. NOV. ART. *IX.* Vectigalia vero, si à subditis exigantur, tributi rationem habent: ab exteris non nisi præstandæ securitatis, aut recepti in se oneris intuitu peti possunt; sed frequens est, ut modus non servetur. GROTIUS *de J. B. & P. L. II. C. II. §. 14.* Quod & nostræ leges agnoscunt. CAP. NOV. ART. *VIII.* Huc quoque pertinent res, quæ nullius in dominio sunt, modicæ quidem, sed ad dignitatem sustinendam satis, ubi avaritia, luxus, & quæ alia mala haud ita pridem invaluerunt, procul habentur: Germaniæ enim populi, cum Regibus assignanda quædam essent, unde dignitatem sustinerent, sapienter existimarunt, ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusquam tribui possunt. Sed Imperatorum socordia hæc omnia in statuum potestatem pervenerunt. Vid. *I. P.* ART. *V. §. 26.* CAP. NOV. ART. *X. §. 4.*

** CAP. NOV. ART. *V. §. 2. I. P.* ART. *VIII. §. 2.* Id in omnibus pene regnis usu obtinet, ut non nisi cunctis volentibus tributa indici queant, ne Regibus, subditos ad incitas redigendi, facultas sit: tributa enim in hoc sunt, ut è civium bonis, quantum ad usus publicos necessarium, decerpi queat, non ut cives facultatibus exuantur. Eandem ob causam Imperatoris potestas adeo restricta est, ut ne immunitatem quidem à collectis absque statuum consensu tribuere possit. CAP. NOV. ART. *V. §. 6. 7. 9.* Quid

quilibet conferre debeat, Matricula Imperii determinatur, de cujus rectificatione jam dudum deliberatur. CAP. NOV. *l. c. §. 10.* Qui moras nectunt, mandatis pœnalibus coërcentur. CAP. NOV. §. *11.* Sed executio plerumque non adeo facilis est. Conf. MÜLLER *Diss. de eo, quod justum est circa jus collect. in Imp.*

*** *I. P.* ART. *V. §. 52.* Ex regulis societatis subditorum nemo à collectis se eximere potest. **Schmaußens** *Comp. jur. publ. L. II. C. XII. §. 6.*

§. X.

Denique è comitiis desumi maxime debet regiminis forma. * Indicuntur autem à SACRA CÆS. MAJ. ut eas imperii partes, ad quas statuum consensus requiritur, exercere queat: ** quæ sibi è re publica videntur statibus proponit, ac consilium ab iis exigit: *** finitis vero salutationum officiis, consultationes in tribus collegiis initium capiunt, donec inter duo superiora conveniat, ac deinde cum Civitatum collegio *re-& correlatio* instituatur. Quod ita placuit, Cæsari aut ejus Commissario **** offertur, & ab illo, mediante ratificationis decreto, vim legis consequitur. *****

* Quod à multis negligi animadverto: hinc tot errores de forma Imperii.

** CAP. NOV. ART. *II. §. 13.* Comitia enim in hoc serviunt duntaxat, ut sint majus Regis consilium, per quod civium querelæ ad Regis aures perveniant: hinc nulla pene Monarchia existit, in qua non Comitiorum quædam species reperitur.

*** **Reichs-Gutachten** vocatur, & hoc modo concipi solet: **Als man in allen dreyen Reichs-***Collegiis* **das** *per dictaturam publicam communicirte* **Kayserl.** *Commissions-Decret* **durch ordentlichen Vortrag in behörige Berathschlagung gezogen. ꝛc.** Conf. CAP. NOV. ART. *III. §. 3.* ART. *XI. §. 21.*

Der

Der Kayser will in wichtigen Sachen, so das Reich antreffen, der Churfürsten Raths, Bedenckens und Gutachtens sich gebrauchen, auch ohne dieselbe hierin nichts vornehmen, sondern in wichtigen Sachen bald Anfangs ihrer, als seiner innersten Räthe, Gedancken vernehmen, und so dann nach Gelegenheit der Sachen der übrigen Fürsten und Stände Raths-Bedenckens sich gebrauchen. Non inconcinne igitur *Consiliarii perpetui* ac *necessarii* dici possunt Imperii Ordines. Est hæc antiquissima regiminis forma, ut, si lex ferenda, Imperator, an Reipublicæ utilis sit? Statuum suffragia explorare soleat: quos si suam in sententiam concedere videat, legem promulgat; sin displicere animadvertat, abstinet promulgatione: quod eam ex usu non esse persuasum habeat. Falsum igitur, quod HIPPOL. A LAPIDE *P. I. C. VI. Sect. II.* ait, vim omnem comitiorum penes status sitam esse, iisque, invito etiam Imperatore, leges condendi facultatem competere. Conf. §. *IV. not.* ** *b. Sect.*

**** Subditis non legatus, sed Commissarius mitti solet.

***** Prius generalem obligandi vim non habet: sed placitum statuum (**Reichs-Gutachten**) vocatur; deinde vero Concluſum Imperii (**Reichs-Schluß**) appellari solet.

§. XI.

Quodsi igitur nullum temporis momentum, quo Imperatori Majestas adempta sit, allegari queat, * singulaque Majestatis jura ei competant: ** exercitium vero eorundem statuum consensu solummodo & suffragio illigatum sit: *** Germaniam LIMITATAM esse MONARCHIAM, puto, constabit. **** (*a*)

* Quod *Sect. II.* demonstratum. Neque enim simulacra Majestatis, quæ HIPPOLITI A LAPIDE calumnia est, ei relicta solum; sed pro illius potestate tam diu præsumendum, donec aut ex ipsis legibus, earumve Analogia carceribus inclusam esse appareat.

** Id

** Id quod præsens *Sectio* probatum dedit.

*** Conf. §. *II. not.* ** *h. Sect.*

**** Num vero Majestas Imperatoris non sit nimium adstricta, ad considerationem politicam spectat, à qua unguem teneo. Conf. CÆSARIN. FÜRSTENER. **von des Kayserl. Cammer-Gerichts** *Jurisdiction in præfat.* Beatissima vero regiminis forma, si Regibus non sit infinita & libera potestas; sed legibus quibusdam teneantur, quæ vim potentiæ infringant. Hoc modo cavetur, etiam cum boni Principes sunt, ne malis fieri liceat: quanta enim regiis ingeniis dominandi cupido incedat, insignes principum aut populorum ruinæ vetera ac nova documenta extant. Conf. *Sect. I. §. VII.*

(*a*) Summa systematis mei hæc est: Cæsaris potestas *independens*, non *illimitata*: Status vero regii juris seu Majestatis incapaces quidem, juribus tamen ac prærogativis omnino insignibus gaudent, quæ ut perpetuo illibata maneant, Imperator ART. *I.* §. *2.* CAP. iis pollicetur: quo ipso libertati eorum satis prospectum est. Conf. LYNCKER *de libertate statuum. §. 2. seqq.* Ast statuum in territoriis potestas summi imperii analoga dici solet.

SECTIO IV.

ALIORUM DE FORMA IMPERII OPINIONES RECENSENTUR.

§. I.

DUbiam sane Imperii nostri formam esse oportet, quod tanta inter eruditos de ea dissensio sit, ut vix ulla quæstio implicatior appareat. (*a*) Sunt, qui *Civitatum systema*, * fœdere inæquali junctarum, esse autumant, omnemque Reipublicæ unitatem inficiantur. ** Verum licet politica Germaniæ compages plures tractu temporis subierit vicissitudines, dissoluta tamen haud est.

eſt. *** Certe Imperium in ipſis legibus velut unum corpus politicum, cujus ſinguli ſe membra **** eſſe profitentur, non uno loco ſe ſiſtit. *****

(*a*) Add. *Præfat. p. 1. 2.*

* Ubi nimirum plures Civitates arctiſſimo inter ſe fœdere colligantur, neque tamen ſingulæ deſinunt ſtatum perfectæ civitatis retinere: ſed vix eſt, ut omnes Imperii ordines ad tuendas ditiones ſuas ſufficiant, ſi, nexu omni ſublato, ſuo quilibet arbitrio Rempublicam gerat.

** TITIUS *Specim. jur. publ. L. VIII. C. IX.* HUBER *Syſt. Rerump. fœderat.* PRASCHIUS *Diſſ. de Rep. Achaja.* Sed de Unitate Reip. *S. R. I.* ex inſtituto egit OBRECHT. *in Diſſ. junctim editis Diſſ. XIV.*

*** Neque unquam felicior exiſtet, quam ſi Imperator Statusque firmo inter ſe nexu jungantur: quem turpiter laxari, aut plane diſſolvi, non poteſt non eſſe ſummopere noxium.

**** Qua vero in territoriis poteſtate gaudent, univerſæ Reipublicæ ſubordinata eſt, eique velut falces ſubmittit. MASCOV *Princip. Jur. publ. L. VI. C. I. §. 9.* Quin unus omnibus Judex eſt, ac ſi jus fasque vilia putant, à ſubditis in ſummis Imperii tribunalibus conveniri poſſunt. De Civitatum Imperialium regimine legi meretur notabile Concluſum Judicii aulici in KOENIGII *ſelect. jur. publ. P. XIII. C. I.*

***** Conf. **Schmaußens** *Comp. jur. publ. L. I. C. III. §. 1.* & BOECLERI *Diſſ. de Sacro Romano Imperio.*

§. II.

Alii fluctuantes ipſi animo, *Monarchiam* inter & *Civitatum ſyſtema* Germaniam fluctuare putant, irregularem penitus & vix non monſtro ſimilem. * Inſignes in Germania nævos reperiri, ſi res ad Politices regulas exigatur, nemo inficias ibit: ** quid enim humanis in rebus iis ca-

rere poteſt? *** ſed ideo ſpecialem Reipublicæ formam comminiſci neceſſe non eſt. ****

* MONZAMBANUS *de ſtatu Imp. germ. C. VI. §. 9.* Ubi Regum ſocordia, ac Principum ambitione Germaniam in tam male concinnatam Reipublicæ formam provolutam eſſe autumat, ut neque regnum, etiam limitatum, amplius ſit, licet exteriora ſimulacra tale quid præ ſe ferant, neque exacte corpus aliquod civitatum fœdere nexarum, ſed aliquid inter hæc duo fluctuans. Libellus ſatyram potius, quam veram juris publici ſcientiam complectitur: multa tamen egregie in eo dicta ſunt, ſed audacius, quam id ſeculum aſſueverat. Add. KEMMERICH *Introd. ad jus publ. L. V. C. I. §. 30.*

** Recte MASCOV *Princip. jur. publ. L. III. C. I. §. 9.* ait: „ Qui Reipublicæ formam, ut irregularem, imo monſtro „ ſimilem taxarunt, videntur vocum magis licentia, quam „ re ipſa offendiſſe. Nam & qui contra eos calamum „ ſtrinxere, multa huic formæ ad concinnitatem optime „ conſtitutæ Reipublicæ deeſſe fatentur. Sed hæc politicæ „ conſiderationi ſeponi debent.

*** Qualemcunque gubernationis formam quis animo fingat, nunquam incommodis aut periculis carebit.

**** Conf. *Sect. I. §. 8.* Sicut enim multa ſunt vivendi genera, alterum altero præſtantius, & cuique liberum eſt, ex tot generibus id eligere, quod ipſi placet: ita & populus eligere poteſt, qualem vult regiminis formam: quæ non ideo irregularis dicenda, quod abeat à regulis, quas civilis doctrinæ magiſtri de rite ordinanda Republica excogitaverunt. GROTIUS *de J. B. & P. L. I. C. III. §. 8. n. 2.*

§. III.

Sunt alii, qui *mixtam* ex omnibus Germaniæ Reipublicæ formam adaptare conati, ut non penes unum, aut paucos quosdam Optimates, nec penes ſolam plebem ſit rei ſumma: * qualem rerum perturbationem introducere, nulli,

nulli, quod sciam, populo in mentem venit, hinc ad se Rege trahente, inde populo, Optimatibusque. **

* HORNIUS *jur. publ. prud. C. XIX. §. 5. 6.* LIMNÆUS *jur. publ. L. I. C. X. §. 12.* BOECLER *Notit. Imp. L. XXII.* KULPIS *ad Monzamb. C. VI. §. 7.* Sed vereor, ut ejusmodi Reipublicæ species in ideali Platonis regno fingi facilius, quam in hac mundi scena reperiri queat.

** Sane enim mixtionem in politicis dari, aut dari commode posse, mihi persuadere non possum: in Monarchia namque ratio status est unius absoluta & summa in Republica potestas; contra Optimatum ac popularis status unius imperantis sui natura impatiens est; ejusmodi vero mixtura non nisi monstrum civitatis producere apta. Qua in opinione sunt, quod mireris! HIPPOLIT. A LAPIDE *P. I. C. I.* & MONZAMB. *C. VI. §. 8.* non satis memores, ea de suis systematibus æque prædicari posse.

§. IV.

Nec defuerunt viri, eruditi quidem, sed temporibus & locis nimium servientes, qui rem omnem ad recepta in scholis systemata exigendo, *illimitatam* prorsus *Monarchiam* assererent: * sed ex Imperii legibus & Capitulatione imprimis, ubi Imperatoris potestas arctis satis limitibus includitur, facile convincendi. **

* REINKINGK *de Regim. secul. & eccles. L. I. C. II.* qui nimio adulandi studio abreptus, Cæsaris jura plus justo extulit, ipsique Imperiali aulæ non potuit non displicuisse. Add. STAMMLER *de Reservatis Imp. §. 5. 6. 15.* SCHÜZ *Vol. I. Diss. I. th. 25. Lit. D.* WINTZENDORF *Disc. de Statu & Administ. S. R. I. forma hod.* Illud vero insigniter stultum, imperantis Majestatem inde æstimare, quod multos in sua ditione habet, qui ipsius imperium impune possint spernere. Quo collimat dictum illud Caroli V. apud KIRCHNERUM: *In Germania se Regibus imperare.* Conf. MONZAMBAN. *C. III. §. 2.*

** Sententia hæc non niſi invidiam & noxium æmulandi ſtudium in ſtatibus Imperii contra Imperatorem concitare molitur; ac neminem hodie, cui aliqua Comitiorum, formæque regiminis eſt notitia, ea in opinione eſſe cenſeo.

§. V.

Inventi porro ſunt, qui ex uſu magis rerum præſentium, quam ex vero argumentum executi, ſibi primum, deinde aliis perſuaderent, * penes *Optimates* rei ſummam eſſe; Imperatorem vero ſtatibus ſubjectum, & pro lubitu dignitate exui poſſe. ** Quantum in hoc ſyſtemate momentum verſetur, quantique interſit, penitius examinare, quouſque illud veritati conſonet, norunt, qui intelligunt, quanto opere iſta hypotheſis poteſtatem Imperatoris aggrediatur, nexumque Imperii diſſolvere apta ſit. ***

* HIPPOLITUS A LAPIDE *de Ratione Status in Imper. german. P. I. C. III.* Auctor inaudito facinore Imperatorem aggreditur, & Statibus auctor eſt, ut regiam dignitatem in minimum redigant, omniaque Majeſtatis jura ad ſe trahant; Imperatori vero præter nomen & inanes titulos relinquant nihil. Add. BODINUS *de Republ. L. II. C. V.* RELFENDSO *de ſumma Principis poteſt.*

** Præcipuum hoc HIPPOLITI A LAPIDE fundamentum, *P. I. C. III. Sect. II.* Id vero in omni imperante juris eſt, ut ſi vere hoſtili animo in totius populi exitium feratur, & vili putet conſtare, quod humano ſanguine emitur, à populo, aut inſigni ejus parte coërceri ac puniri queat: neque enim præſumendum eſt, eam fuiſſe hominum in ſocietatem coëuntium voluntatem, ut ne ullo quidem caſu vim ſuperiorem arcere queant. Ita & Imperator, quoties imperio ſuo male utitur, Germaniæ leges inſuper habet, ac Tyrannidem molitur, non tantum vi repelli, ſed & imperio exui poteſt: quod jam non Rex, ſed invaſor ſit. Conf. *Sect. I. §. VI.*

*** Minores Status merito ſibi cavere deberent: Imperatoris enim

enim potestate eversa, & ipsi pereant necesse est. Adde quæ in præfatione hanc in rem disserui. Nobilis DIONIS CASSII locus *L. XLI. p. 168.* „ Ego vero neque decorum existimo, ut rector civitatis cedat, neque spem esse „ ad salutem, si, quod parere positum est, velit imperare. „ Natura quippe id necessarium & hominibus salutare, ut „ alii quidem imperent, alii vero pareant. „ Huc pertinet quoque, quod CÆSARINUS FÜRSTENERIUS **von des Kayserl. Cammer-Gerichts** *Jurisdiction in Præfat.* ait: **Lieber wäre mir, wann die** *Subordination* **derer Stände unter ihr Haupt, allezeit nach ihrer wahren Art erkannt, mit einer ernsthafften Betrachtung der Göttlichen Bestimmung aller Obrigkeiten befolgt, mit einer von Aberglauben und Eigennuz gereinigten Staats-Klugheit benuzt, mit einer Furcht vor Zerrüttungen, und doch großmüthig, erhalten, aber auch niemahlen vor ein Joch, sondern vor ein nothwendiges Band, und vor das einige Mittel dem teutschen Staat den alten** *Respect* **zu erhalten, durchgängig angesehen würde.**

§. VI.

Tandem penes universos summam potestatem esse, & Imperio *Democraticam* regiminis formam attribui posse, sunt, qui autumant. * Quæ opinio, si eos solum, quibus suffragii jus in comitiis competit, ** Imperii cives esse velis, diversa non est ab illa, quæ Germaniam Aristocratiam, statusque Optimates esse asserit.

* Nova hæc plane opinio, ac qui eam tuerentur, priori seculo non fuere: primus SENCKENBERG in Dissertatione Giessæ habita eam propugnandam suscepit, à KAYSERO ejus Præside in ipsa gratulatoria epistola refutatus. Ubique ad jura superioritatis territorialis deflectit; universi vero Imperii regimen, de quo quæritur, vix attingit.

** Sunt enim, qui hos tantum civis nomine dignos censent, quos status vocamus, id est, qui jus civitatis plenius & usu excellentiori participant. HENNIGES *ad I. P. Specim. II. in Mant. p. 199.*

§. VII.

Ex his videre eſt, quam contrarias juris publici Doctores defendendas ſuſceperint opiniones, quotque ſyſtemata à Republica noſtra prorſus aliena commenti ſint: quantique interſit, eandem ex ipſis legibus ac rerum uſu cognitam habere. * Sublatis vero opinionibus falſis illa, quam de *Monarchia limitata Sect. III.* propoſui ſententiam, remotive, ut ajunt, novum robur accipit. **

* Cum plurimi ex ingenio magis, quam ipſis legibus juris publici ſyſtema ſibi effingerent, rem per ſe haud expeditam multo impeditiorem reddiderunt.

** Conſentiunt mecum RUMELIN *ad A. B. Diſſ. III. §. 18. p. 72.* LYNCKER *Diſſ. de forma Imp. C. III. p. 47.* SCHILTER *Inſt. jur. publ. L. IV. Tit. ult. §. 12. 24.* SCHMAUSS *Comp. Jur. publ. L. I. C. III.* &, ni fallor, MOSER *Comp. Jur. publ. L. III. C. V. §. I.*

§. VIII.

Sed filum abrumpendi tempus: * ſi quid vero juribus Statuum, aut ulli veritati diſſentaneum à me dictum eſt, id nec dictum eſto; omnesque oro atque obteſtor, quorum in manus iſta venient, ut omnia ita accipere velint, utpote ab homine, nulla adhuc experientia tincto, immaturo partu edita. **

* Quæ ad illuſtrationem hujus thematis addi forte potuiſſent, ſingulari Tractatu DE JURIBUS MAJESTATIS IMPERATORI OLIM ET HODIE COMPETENTIBUS exponam.

** Diſplicuit Scriptum Doctiſſimo MOSERO *P. IX. p. 181.* **ſeines Staats-Arch.** cujus judicium ſi prius mihi cognitum fuiſſet, forte abſtinuiſſem ſcriptione. Placuerunt vero conatus notitiis librorum, quæ Ratisbonæ, Francofurti, Gœttingæ &c. prodeunt. Sed

Quisque ſuos patitur manes.

TANTUM.

EPILO-

EPILOGUS.

REstat, ut, antequam hinc abeam, quædam adhuc moneam, BENEVOLE LECTOR! Nauseabis forsan, me *Sectione II.* hinc inde nimium evagatum esse; * sed jam ex Præfatione videris, Theologos nobis hæc otia fecisse. Accidit nempe, ut occasione quarundam propositionum, quæ mitius forte efferri potuissent, ingens mihi lis moveretur: respondendum esse duxi, ut ab hæreseos suspicione me liberarem. Qui vero alia de me opinione imbuti, multa, quæ in notis ad defensionem meam adducta sunt, lectione transgredi poterunt. Adeo autem persuasum habeo, certa esse pleraque his paginis proposita, ut historiam vel ignorare, vel dissimulare mihi videantur, qui ea negare voluerint. Hæc Theologis dicta sunto, quos simul etiam atque etiam rogo, ut memores sint moniti MATHÆI C. *XVIII. v. 15. 16. 17.* & me, licet errantem, diligant tamen: cum pertinacia verò errorem non tuebor.

Cæterum omnes Imperatores filo historico recensere necesse non fuisset: sed multis non injucundum erit, præcipua historiæ Imperii momenta serie chronologica, unoque quasi obtutu intueri, ordine, ni fallor, concinno gratoque: præcipue cum status publici, quantum ad propositum faciebat, ubique mentionem fecerim.

Neque tamen adeo meorum amans sum, ut operam hanc perfectis operibus annumerem: sed facile sentio, quam in ea elaboranda exiguæ mihi vires fuerint. Initio quali-

* Si quis unquam, ergo certe à vaga scribendi licentia alienus sum: hac vice JCti veniam dabunt, quod res certas probari oportuerit.

qualicunque academico exercitio, Gieſſæ ſubeundo, deſtinabam: ſed accidit præter ſpem, ut remora mihi injiceretur, ac propoſitum plane dimittendum fuerit; variæ quoque me rationes moverunt, ut publicæ diſceptationi exponere nollem: ne tamen labor hic penitus in caſſum factus eſſet, ut alio titulo in lucem prodiret, conſultum duxi: jam vero, ut officiis erga me ipſum, & rogatui quorundam amicorum, quibus ſemper aliquid ſuſpicionis contra me hærebat, facerem ſatis, denuo recuſus. Vale interim, B. L. & conatibus meis fave; nihil autem deinceps, quod vel externos ſaltem limites religionis tangit, à me exſpecta.

Vera ſcribere, periculum, falſa, crimen.

Corrigenda.

IN Præfat. p. *VI.* l. 23. omittere *amittere.* P. 3. l. 25. ulterius *alterius.* P. 7. l. 16. poſt 769. add. *800.* P. 32. l. 5. Conſtitutioni *Conventioni.* P. 32. l. 8. *medit.* ART. P. 47. l. 1. poſt: audiantur. add. *Abuſus Comitum Palatinorum tollantur.* ****** P. 58. l. 31. expedire taliquoties *expediret aliquoties.*

FERDINANDI SINCERI
COMMENTATIO JURIS PUBLICI
COMPLEXA DISSERTATIONIBUS QUINQUE
DE

PARITATE JUDICANTIUM UTRIUSQUE RELIGIONIS

ET DE EO

QUOD, EVENIENTE VOTORUM PARITATE IN DIJUDICANDIS CAUSIS ECCLESIASTICIS, ET, QUÆ AB HIS DEPENDENT, POLITICIS, IN SUPREMIS IMPERII TRIBUNALIBUS JURIS EST,

NEC NON

DE

REMISSIONE AD COMITIA, SI QUÆ DUBIA CIRCA INTERPRETATIONEM LEGUM AC RECESSUUM IMPERII ORIANTUR

ACCEDIT

PROBLEMATIS LOCO
SPECIMEN JURIS CAMERALIS

DE

VOTO DECISIVO JUDICIS CAMERÆ

AD
ILLUSTRATIONEM INSTRUMENTI PACIS
ART. V. 53. seqq.

WETZLARIÆ, MDCCLV.

PRÆFATIO

Novum est, quod meditor, thema, à nemine, puto, hactenus tractatum. (*a*) Quæ enim hinc inde apud Camerales inveniuntur, præterquam quod materiam hanc elegantissimam plane non exhauriant, præmissa legislationis & Tractatuum historia, qua Instrumentum Pacis optime intelligitur, in unam epitomen colligi merebantur. Qua industria, si quælibet ad idem aliquod Juris Cameralis caput spectantia congererentur, tota hæc Jurisprudentia à fundo ad culmen brevi exstructa foret.

Hanc interim qualemcunque Commentationem, ut & publicæ & Cameralis Jurisprudentiæ aliquod specimen ederem, ex actis publicis, quæ quidem mihi ad manum fuere

(*a*) Cum hic Tractatus jam dudum elaboratus esset, evolvi utilissimas Jurisprudentiæ Cameralis institutiones, quas anno priori Clarissimus *Frid. Guil.* TAFINGERUS *Tubingæ* edidit, qui, dum §. 531. de *Paritate votorum* utriusque religionis Assessorum agit, Dissertationem allegat cujusdam *ab* EDELSHEIM *de Pluralitate votorum in negotiis Imp. tam publicis, quam privatis, Marb.* 1691. editam. Sed cum mihi eandem videre nondum licuerit, judicet æquus lector, si idem forte tractationis agumentum, an, duo cum dixerint idem, sit idem?

fuere, ut potui diligentissime, illustrare conatus sum, atque ex ADAMI *Relatione Historica & MEIERI actis Pacis Westphalicæ* omnia eo libentius hausi, cum Illum quidem Tractatibus præsentem, Hunc Acta nobis communicantem, accurate invicem convenire animadverterem, ut, quæ attuli, certa non minus Historiæ, quam Actorum fide constent. Plura præfari, cum ex ipso Tractatu instituti ratio colligi possit, jam non vacat. Tu vero, BENEVOLE LECTOR! hos quales cunque conatus meos æqui bonique consule, mihi fave, & vale. Dabam Wezlariæ d. 20. Octobr. MDCC LV.

DISSERT. I.

DISSERTATIO I.

IN QUA

HISTORIA

PARITATIS JUDICANTIUM UTRIUSQUE RELIGIONIS EX IPSIS TRACTATIBUS ET ACTIS PACIS WESTPHALICÆ EXPONITUR

ET

PRÆLECTIONES SUAS JURIS PUBLICI ET CAMERALIS AD SCHMAUSSII COMPENDIUM ET TAFINGERI INSTITUTIONES D. XII. NOVEMB. HORA IX. ET XI. INCHOANDAS INDICIT.

AUCTOR

D. F. H.

DISSERTATIO I.

IN QUA

HISTORIA LEGISLATIONIS INSTRUMENTI PACIS

ART. V. §. 57. seqq.

EXPONITUR.

§. I.

EX quo Protestantium res, concessa fidei libertate, augeri in Imperio cœperunt, suprema tribunalia, quasi odio religionis iniquis sententiis gravarentur, modis omnibus declinare visi sunt. (a) *Protestantes semper judicia Imp. declinarunt.*

(a) Quæ iniquitatis-suspicio, sublatis licet gravaminibus, ex eorum animis ne hodie quidem eradicari potuit; ceu ex ingenti, imprimis contra Judicium aulicum, querelarum catalogo, apud HENNIGESIUM *in Medit ad Instrum. Pacis art. V. §. 58. Mantiss. II.* videre est.

§. II.

Quam primum enim Anno 1532. fidei controversias ad usque Concilii tempus fisti voluit Imperator, (a) mota statim quæstio fuit: quid *Rerum Fidei* denominatione intelligi proprie debeat? Protestantes imprimis de ereptis bonis *Quid rerum fidei denominatione intelligatur?*

ecclesiasticis querelas eo nomine accipi, (b) Catholici non nisi de dogmatibus sermonem esse; (c) ad recuperandam vero bonorum possessionem suprema Judicia adiri posse, existimabant.

(a) Alle Rechtsfertigungen in Sachen den Glauben belangend, sollen anstehen, bis zu nächstkünfftigem Concilio. *Vid.* SCHILTER *de pace relig. C. II. §. 15.* Qua Norimbergensi Pacificatione prima religionis libertas concessa Protestantibus fuit.

(b) Ceu ex eorum responso apud HORTLEDERUM von den Ursachen des teutschen Kriegs *T. I. L. VII.* §. *5.* patet: Einmahl so seind die Sachen also gelegen, und wir haben es auch mehr dann zu einem Mahl, in Schrifften, und mündlich angezeigt, daß solche Sachen durch uns für Religions-Sachen geachtet, und gehalten werden, als sie auch in der Wahrheit seind, welche, ohne daß der Zwispalt des Glaubens zu vor durch ein gemein, Christlich Concilium entschieden sey, nicht rechtmässig oder gebührlich mögen erörtert werden. Darum so muß der einfallende præjudicial-Artickel des Glaubens, für allen Dingen in einem Christlichen Concilio abgehandelt seyn, ehe dann man zu solcher Erläuterung von Recht und Billigkeit wegen kommen mag. Cui addit HORTLEDER: „Præjudicialis de religionis veritate controversia legitimo prius decidenda concilio, quam lis de bonis „ad veram Religionem pertinentibus dijudicanda suscipiatur.

(c) Recte omnino: non enim nisi dogmata ad Concilii sphæram pertinere poterant.

§. III.

Protestantes contra se processus eou volunt.

Novi inde motus enati, Transactione Cadanensi Anno 1534. sopiti. Qua pollicebatur Ferdinandus I. apud Cæsarem eo se rem deducturum, ut processus in Camera contra hac pace inclusos tollantur.

Daß mit den Proceß am Kayserl. Cammer-Gericht zu Erhaltung solches Friedenstands, wider die, so darinnen benandt seind, still

ſtill geſtanden, auch alle bishero fürgenommene Proceße würcklich abgeſchafft werden ſollen. Formulam ſiſtit GOLDASTUS *Conſtit. Imp. T. II. p. 177.*

§. IV.

Quo non obſtante, cum Camerale Judicium Hamburgenſes pariter ac Mindenſes, ut erepta Clericis bona reſtituerent, Mandatis adigeret, Proteſtantes de cohibenda in religionis ſuæ cauſis Cameræ Jurisdictione ſoliciti, conventus celebrant, *Smalcaldiæ* primum, deinde *Brunſwici*: ubi hæc erant præcipua deliberationis capita: I. An Camera, qua ordinarium ac ſupremum judicium, ejusque Judex & Aſſeſſores jure meritoque recuſari queant? II. An, ut in politicis recuſetur, ſtatibus utile, ac ſuadendum ſit? Non una omnium fuit opinio: alii graviſſimas ob cauſas, ceu apud GOLDASTUM (*a*) loqui amant, rejiciendam eſſe, alii non minus ex Proteſtantium numero, eandem in cauſis politicis recuſari haud poſſe, exiſtimarunt: (*b*) tam alte mentibus eorum infixa fuit fori Cameralis competentia. *Eorum deliberationes de cohibenda Camera jurisdictione.*

(*a*) *Conſtitut. Imp. T. II. p. 177.*

(*b*) Reſponſa eorum proſtant apud HORTLEDERUM *T. I. C. VII. IX. ſeqq.*

§ V.

Tandem, ut omnis querelarum anſa præſcinderetur, in Conventu Francofurti Anno 1539. habito, proceſſus omnes contra Auguſtanæ Confeſſioni addictos in Camera pendentes ſuſpenſi penitus ac ſublati ſunt. (*a*) Sed ingens mox dubium oritur, cui, quæ cauſæ religionis ſint, cognitio competat? nova litium occaſio. Camera, de *Proceſſus contra eos tolluntur: ſed dubium oritur: quæ ſint cauſæ religionis?*

fori competentia quæstionem esse, monuit, cujus decisio jure communi sibi relicta sit. (*b*) Tandem in comitiis Ratisbonensibus Anno 1541. facultas hæc Cæsari & Imperio reservata, suspensaque sequentibus Comitiis *in omnibus* (*c*) Protestantium causis denuo Cameræ jurisdictio.

(*a*) Confer. SCHILTER *de libertate Ecclesiar. German. L. VII. C. VI. §. 1. p. 976. seqq.*

(*b*) RECESS. IMP. *1541.* §. *28.* Doch haben Wir uns vorbehalten, über vorgemelten Friedstand, so offt solches die Nothdurfft erfordert, jederzeit declaration und Erläuterung zu thun, wie Wir uns solches hiermit ausdrücklich und wissentlich vorbehalten. & §. 30. darüber Wir ferner Declaration thun wollen, welche Handlungen Religion- oder Profan-Sachen seyen. Dieselbe Declaration soll auch hiezwischen nächstkünfftigen Reichs-Tag, oder auf demselben mit Rath und Gutbedüncken der Reichsständ beschehen.

(*c*) REC. IMP. *1541.* §. *29.* und was betrifft die Achten und Proceß, so bisher **in Religion und andern Sachen** an unserm Kayserlichen Cammer-Gericht anhängig gemacht und ergangen seynd, derowegen bisher Streit gewesen, ob dieselbe in dem Nürnbergischen Friedstand begriffen seyn sollen oder nicht, dieselben Achten und Proceß wollen wir zu Erhaltung Friedens, Ruhe und Einigkeit im heiligen Reich teutscher Nation und **aus Unser Kayf. Macht Vollkommenheit**, so lang bis das gemein, oder National-Concilium oder in dieser Sachen eine gemeine Reichsversamlung gehalten wird, suspendirt und eingestellt haben. Add. REC. IMP. *1542.* §. *131.* ibi: Samt der Suspension der Achten und Proceßen, so **in Religion und andern Sachen**, an Kayserl. Cammer-Gericht anhängig gemacht und ergangen seynd, auf fünf Jahr lang erstreckt und prorogirt.

Subinde Commissarios à Cæsare petunt.

§. VI.

Ne tamen omnes, Catholicos inter & Augustanæ Confessioni addictos, controversiæ prorsus indecisæ manerent,

nerent, placuit subinde easdem, impetratis à Cæsare Commissariis, amice componi. Quodsi vero ejusmodi amicabilis compositio locum non habuerit, supremum sibi arbitrium reservavit Imperator, in quo majorem Protestantes sæpe fiduciam habuerunt. (a) Relicta tamen in reliquis sua Cameræ jurisdictio, (b) ac sensim etiam novæ religionis homines in Assessores recepti sunt. (c)

(a) REC. IMP. *1541.* §. *30.* Wir sollen und wollen auch auf der Theil oder Partheyen Ansuchen, unpartheyische Commissarien verordnen, die innerhalb Jahrs Frist, von diesem Reichstag anzurechnen, zwischen den Partheyen zu gütlicher Hinlegung und Vergleichung ihrer Irrung handlen. Wo aber die Vergleichung nicht statt haben, oder erlangt werden möchte, sollen die Commissarien uns Bericht ihrer Handlung mit ihrem Gutbedüncken, zuschreiben, darüber Wir ferner Declaration thun wollen ꝛc.

(b) RECES. IMP. *1541.* §. *41.* und damit außerhalb obgemelter suspendirter Sachen, ein jeder gegen dem andern Recht bekommen möge: so meynen und wollen Wir, daß unser Kayserlich Cammer-Gericht im heiligen Reich im Weesen bleiben, demselben von Churfürsten, Fürsten und gemeinen Ständen gehorsam geleistet, und demselben sein freyer stracker unverhinderter Lauf gelassen werden soll.

(c) REC. IMP. *1544.* §. *92.* ibi: Die fromme, gelehrte, ehrbare und tügliche Personen sind, **unangesehen welches Theils Religion die seyen.**

§. VII.

Cum vero auctis in immensum Protestantium viribus, Anno 1552. Transactio Passaviensis iniri debuerit, illud consecuti, ut in ejus §. XI. ac XII. disponeretur: „Omnem operam navabit Imperator, ne qua pars sibi à „partialitate & pluralitate votorum metuere debeat, aut „A. *Assessores A. C. ad dicti admittuntur.*

„A. C. addicti ab Assessoratu Cameræ Imperialis excludan„tur: (a) atque in secuta mox pace Religionis §. XXXII. Camerali Judicio injunctum sit: „ut huic Constitutioni „pareat, jusque postulantibus, citra alterutrius religionis „respectum, administret, neque in contrarium processus „decernat, aut aliud agat, tractetve; (b) Judex vero, „& Assessores, aliæque personæ Camerales ex utriusque „religionis hominibus præsententur. (c)

